BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
5 7 G
41

Digitized by Google

Digitized by Google

MONS MYRRHÆ

SEU

BREVIS INSTRUCTIO DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

AUCTORE

P. GEORGIO BIEGEISEN SOCIETATIS JESU SACERDOTE.

Editio ſecunda auctior, & emendatior.

Cum Gratia & Privil. Sac. Caſ. Majeſtatis. Et facultate Superiorum.

IHS

DILINGÆ,

Typis & Sumpt. JOAN. CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Academici. Per JOANNEM FEDERLE.

M.DC.LXXXVIII.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

OPERIS
CONSECRATIO
JESU CHRISTO
SERVATORI NOSTRO
Eiúſque Sanctiſſimæ Matri, Virgini
MARIÆ,
DOMINÆ AC PATRONÆ NOSTRÆ.

V*Adam ad Montem Myrrhæ.* (a) Vox eſt amantis ſponſę; Vox Dilectę ad Dilectum, hoc eſt, MARIÆ ad JESUM. Ad Montem Myrrhæ anhelat Mater cum Filio, & Filius cum Matre. Date veniam, ô magna Cæli, terræq́; decora. Quid tibi cum myrrha, ô MARIA? Quid tibi cum monte myrrhæ, ô Fili MARIÆ? Myrrha

Digitized by Google

amara putredinis eſt medela; mons myrrhæ ſymbolum eſt pœnitentiæ. Quid igitur facit medela ex myrrha, ubi nulla eſt corruptela ex culpa? Quid agit, juvátque pœnitentia, ubi ſumma eſt integritas, & ſumma innocentia?

II. *Adiuro vos, Filiæ Jeruſalem, per capreas, cervóſque camporum*, (b) ne permittatis, aut ire faciatis Dilectam cum Dilecto ad montem myrrhæ, plenum felle, plenúmque abſynthio. Veniat Dilectus cum Dilecta in hortum ſuum ad áreolam aromatum, ut paſcantur in hortis, & lilia colligant. Egrediantur in agros, commorentur in villis: manè ſurgant ad vineas, ut videant, ſi flores fructus parturiunt; ſi floruerunt mala punica. Saliant in montibus, qui ſtillant dulcedinem; tranſiliant

Digitized by Google

liant colles, qui fluunt lacte & melle.

III. Nos animæ viles, & Matris immundæ immunda progenies, eamus ad montem myrrhæ, myrrhámque metamus cum hyſopo & aloë. Nos enim vulnerati ſumus, & virus lethiferum cum lacte materno ſuximus. Nos intra nos ipſos reſponſum mortis habemus, & ſicut jumenta in noſtris volutamur ſordibus. *Non eſt ſanitas in carne noſtra, à planta pedis uſque ad verticem.* (c) *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices noſtræ à facie inſipientiæ noſtræ.* (d)

IV. *Venite* igitur, *aſcendamus montem Domini, & ad Domū Dei Jacob.* (e) Et ipſe miſerebitur noſtri; ſanabit omnes infirmitates no-

ſtras; propitius erit peccatis noſtris; docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius.

V. *Vadam ad montem myrrhæ.* Sed priùs ad cor JESV & MARIÆ: nam per MARIAM venitur ad myrrham, & per JESVM ad myrrhæ montem. Imò ipſa MARIA eſt myrrha, & Filius MARIÆ, *faſciculus myrrhæ*: Hic enim manus plenas habet myrrhâ probatiſſimâ. Illa verò dat ſuavem odorem, ut myrrha electa.

VI. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; ad vulnera JESV, & ad ubera Matris. Dicam Deo meo: *Domine, ſi vis, potes me mundare.* (f) *Sana me, & ſanabor: Salva me, & ſalvus ero.* (g)

VII. Dicam Matri DEI: Eſto propitia mihi maximo peccatori. Porrige mihi ſceptrum clementiæ, & virgam propitiationis, Faſciculum myrrhæ, inquam, inter ubera tua commorantem. Confido enim, & dico intra me: *Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti Filii tui, convaleſcam ab infirmitate mea.* (h)

VIII. Tibi, ô JESV amabilis, tibi conſecro Librum iſtum. Tibi, ô Mater admirabilis, dico, dedicóque hunc Montem myrrhæ. Dignemini eum benedicere veſtrarum attactu manuum, ut veſtræ ſervire valeat gloriæ, in ſalutem multorum hominum.

IX. Quod cura, & conatus meus plantavit, MARIA irriget, & JESVS det incrementum. Fiat mons iſte, non ſicut *montes Gelboë, ſuper*

per quos nec ros, nec pluvia venit. (i) Sed ſicut *mons Selmon*, *mons pinguis*, *mons coagulatus*, (k) jucundus DEO, gratus Angelis, utilis animabus.

X. Sentiant veſtræ virtutem gratiæ, qui myrrham colligent ex hoc monte myrrhæ. Parùm enim prodeſſe poterit myrrha ex libro iſto lecta, & collecta, niſi legentibus adſit JESVS & MARIA. Novi enim, quid dicat ſervus ille JESV & MARIÆ. *Poſſunt quidem verba ſonare, ſed ſpiritum non conferunt. Pulchrè dicunt, ſed, te tacente, cor non accendunt. Litteras tradunt, ſed tu ſenſum aperis. Myſteria produnt, ſed tu reſeras intellectum. Viam oſtendunt, ſed tu confortas ad ambulandum.* (l) Vivat

CONSECRATIO.

Vivat JESVS! vivat MARIA! Spiritus JESV, & Charitas MARIÆ, nos ducat per montem myrrhæ ad regnum gloriæ. Amen.

CITATIONES.

(a) Cant. 4. 6. (b) Cant. 2. 7. (c) Iſai. 1. 6. (d) Pſalm. 37. 6. (e) Iſai. 2. 3. (f) Matth. 8. 2. (g) Jerem. 7. 14. (h) Matth. 9. 21. (i) 2. Reg. 1. 11. (k) Pſalm. 67. 16. (l) Thom. Kemp. *lib. 1. de imit. Chriſti cap. 2. num. 2.*

PRÆFATIO
AD LECTOREM
DE
Titulo, argumento, fine, ac methodo libri.

I.

SPero, Lectori non ingratum fore, ſi rudem aliquam totius operis delineationem, in hac Præfatione, quaſi in tabula depictam, benevolis ejus ſubijciam oculis.

DE TITULO.

II. Titulus & inſcriptio libri eſt *Mons Myrrhæ*, quo nomine intelligitur Sacramentum Pœnitentiæ, propter aliquam, quam cum hoc monte habet, analogiam. Rectè enim comparatur Sacramentum Pœnitentiæ *Monti*, quia finis & operatio ejus, quæ eſt juſtificatio & ſanctificatio animarum, valde ſublimis eſt, ad cœlum uſque porrecta.

III, Rectè item mons iſte, *Mons Myrrhæ* vocatur, quia Pœnitentia Sacramentalis ſimiles cum myrrha proprietates habet. Eſt enim illa *amara*, ſicut myrrha, ſuáſque,

ſicut

Digitized by Google

ſicut myrrhæ arbor *lachrymas fundit*, quibus abluuntur crimina, ſanantur vulnera, & corda hominum à corruptione peccati ſervantur illæſa.

DE ARGUMENTO.

IV. Argumentum, & materia libri eſt idem *Sacramentum Pœnitentiæ*, eáque omnia, quæ ad bonum, rectúmque ejus uſum ſpectant. Hæc autem in duplici ſunt ordine. Aliqua faciunt ad *erudiendum intellectum*, ut is plenam ſufficientémque notitiam rerum circa hoc Sacramentum ſciendarum acquirat. Aliqua proſunt ad *movendam*, dirigendámque hominis *voluntatem*, ut debitam ipſe diligentiam adhibeat, Sacramentum iſtud optimo modo, & maximo, quo poteſt, fructu obeundi, quod per verum dolorem de peccatis, & firmum propoſitum emendationis potiſſimùm præſtatur.

DE FINE.

V. Finis operis, & intentio Auctoris eſt, imprimis *major DEI gloria*, proveniens ex bono uſu, fructúque Sacramenti: deinde *Salus & utilitas proximi*, quæ ex hac inſtructione noſtra, cooperante DEO, percipi po-

Digitized by Google

pi poteſt, ſuóque, uti ſperamus, non carebit emolumento. Et hæc noſtra intentio ad omnes quidem cujuſcunque ætatis, ſtatûs & conditionis homines directa eſt, atque omnium uſui, utilitatíque accommodata, aliquam tamen Juventutis ſcholaſticæ (quæ in Gymnaſiis noſtris, & in Marianis Sodalitatibus litteris ac pietati dat operam (curam conſiderationémque ſpecialiùs habitam fuiſſe, Lector in decurſu lectionis libri hujus facilè animadvertet.

DE METHODO.

VI. Methodus ac diſpoſitio libri talis eſt. Totum opus in duas dividitur partes. Et quævis pars duodecim capitibus conſtat. Quodlibet autem caput tres continet paragraphos. His ſuccedit Appendix, ejúſque Additamentum. Et denique Epilogus libri, ſeu finalis diſſertatio, cui ſubjungitur Index totius tractatûs.

VII. In *prima* parte tractantur ea, quæ ad plenam Sacramentalis Pœnitentiæ intelligentiam ſpectant. In *ſecunda* agitur de ijs, quæ animum hominis excitare poſſunt ad eliciendum dolorem de peccatis & imperfectionibus. Cuivis parti ſuum præponitur

tur *Prooemium*, argumento ejus conſentaneum. In Appendice affertur compendioſa praxis rerum ante, in, & poſt confeſſionem agendarum. In Additamento Appendicis decem continentur paradigmata confeſſionis ſeu narrationis peccatorum. In Epilogo libri agitur de cavendis periculis invalidæ, & ſacrilegæ confeſſionis.

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.

M*Ontem Myrrhæ, ſive Inſtructionem brevem* de Sacramento Pœnitentiæ, *quam P. Georgius Biegeiſen Societatis noſtræ Sacerdos conſcripſit, ab aliquot ejuſdem Societatis JESV Patribus lectam, probatámque, Ego Georgius Muglinus Societatis JESU per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, factâ mihi poteſtate ab Admodum R. P. N. Generali Goſvvino Nickel, in lucem dari permitto. In cujus rei fidem Auctori chyrographum hoc dedi, manu meâ ſubſcriptum, atque officii mei ſigillo, ex more, munitum. Auguſtæ Vindel.* 18. *Novembris.* 1658.

Georgius Muglinus.

Digitized by Google

PRIVILEGIVM ET FACVLTAS.


CVm Sacræ Cæſareæ Majeſtatis reſcripto, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis, quamcunque librariam negotiationem exercentibus ſeriò, firmitérque inhibeatur, ne quiſquam libros à Societatis IESV Patribus editos, vel impoſterum edendos, intra S. R. Imperij, Regnorum & Dominiorum ſuæ Cæſareæ Majeſtatis hæreditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere, aut formâ, ſive in toto, ſive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi jam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere, clam ſeu palam, citra conſenſum ac teſtimonium ſuprà dictorum Patrum audeat vel præſumat; Ideo Ego Benedictus Painter Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, juxta poteſtatem mihi ab Adm. Reverendo Patre noſtro Ioanne Paulo Oliva, ejuſdem Societatis IESV Præpoſito Generali factam, Domino Ioanni Caſparo Bencard, Typographiæ Dilinganæ Poſſeſſori, & Bibliopolæ Academico, ejúſque Hæredibus ſeu Succeſſoribus, omnes prædictæ Typographiæ hactenus conceſſas, & uſurpatas facultates concedo, libros à Patribus noſtræ Societatis conſcriptos, ſingulariter R. P. Ernrici Pirrhinger Ius Canonicum. &c. &c. &c.

Cæteróſque omnes tam Scholaſticos, quàm non Scholaſticos antehac Dilingæ, cum ſimili Cæſareo Privilegio, editos, & in futurum ſcribendos, cum Conſenſu Societatis IESV recudendi, vel de novo edendi, liberam poteſtatem facio. Eidémque & ipſius hæredibus Privilegium Cæſareum Societati noſtræ conceſſum, eatenus indulgeo, ut Societate, & ipſo invitis, nemo ſupradictos libros recudere, nemo intra Sacri Romani Imperij fines, & hæreditarias Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Provincias importare, aut venum exponere audeat.

Et quia ex prædictis libris jam antea editis, aliquos ſine licentia Societatis IESV, in grave nominatæ Typographiæ, & prædicti D. Ioannis Caſpari Bencard præjudicium, & detrimentum, nonnulli recudere præſumpſerunt; Eidem D. Ioanni Caſparo Bencard de damnis illatis querenti omnia hujus Generis Privilegia hactenus illi Typographiæ competentia, & à prædeceſſore meo in ipſum collata, tribuo & confirmo; Vt iiſdem omni meliore modo, contra antè dictos, & quoſcunque alios illius Cæſarei Privilegij Violatores utatur, & indemnitati ſuæ conſulat, in librorum antè memoratorum, aliorúmq; cum ſuprà poſito Societatis IESV conſenſu Dilingæ impreſſorũ, ac imprimendorũ distractione. In quorũ omnium fidem, ac teſtimoniũ, has meâ manu ſubſcripſi, ac Sigillo mei officij communivi. Dilingæ 22. Iunij. Anno 1676.

BENEDICTVS PAINTER S. I.

MON-



Digitized by Google



VADAM AD MONTEM MYRRHAE.
Canticor 4.
H Franck ſc.

Digitized by Google

MONTIS MYRRHÆ

PARS PRIMA

In qua

TRACTANTUR EA, QUÆ ad eſſentiam, integritatem, & alia adjuncta Sacramenti Pœnitentiæ ſpectant.

Digitized by Google

PROOEMIVM

Primæ Partis MONTIS MYRRHÆ DE ARBORE MYRRHÆ Sacramentalis Pœnitentiæ Symbolo.

I.

PLinius, Dioſcorides & alij hiſtoriæ plantarum Scriptores (*a*) de Arbore myrrhæ, hæc tradunt. Eſt *Arbor myrrhæ*, arbuſcula in Arabia naſcens, altitudine quinque cubitorum; non ſine ſpina, caudice duro, & intorto, è cujus cortice inciſo fluit lachryma (glutinoſus humor per modum gummi) quæ & ipſa, perinde atque arbor, *myrrha* appellatur.

Applicatio Thematis.

II. Arbor iſta germanum ac genuinum Sacramentalis pœnitentiæ ſymbolum eſt. Hæc enim *primò*, in quantum pœnitentia

eſt,

Digitized by Google

eſt, ſuam quaſi primam ex Arabia originem traxit: ex ea ſcilicet regione, in qua ſitus eſt Mons Sinai, ubi Lex DEI Populo Iſraëlitico per Moyſen data eſt. (*b*) Lex timore ac terrore plena; lex ſaxea confringens corda, duráſque hominum mentes commovens ad pœnitentiam.

III. *Secundò.* Eadem pœnitentiæ ſeu Virtus, ſeu Sacramentum quinque cubitorum altitudinem habet, Sacris quinque Vulnerum Chriſti Stigmatibus notatam, & menſuratam. *Tertiò.* Nec ſine ſpina eſt, quâ cor & caro peccatoris configitur timore DEI, & ſalutari vulneratur compunctione. *Quartò.* Caudice aſperatur duro, atque intorto, quia dura & aſpera ſatisfactionis opera præſtat, diſtortóſque hominum mores ad ſuam reducit, & quodammodo detorquet rectitudinem.

IV. *Quintò.* Eadem pœnitentia è cortice ſuo, corpore ſcilicet conciſo, flagríſque ſauciato, déque corde contrito & humiliato guttas producit, & *lachrymas*, quæ & ipſæ *myrrha* dici queunt; & quidem *myrrha electa*, *myrrha probatiſſima*, ſuaviſſimum ſpargens odorem, & miram habens vir-

tutem ſanandi purulentam ſaniem peccatorum.

V. Hanc myrrhæ arborem, Benevole Lector, tibi exhibet hæc prima pars Montis myrrhæ. *Radix* illius Inſtitutio Chriſti eſt, de qua, quia ad propoſitum noſtrum non facit, in præſentiarum nihil dicetur. Et verò radices ſub terra ſunt, extra conſpectum, & inquiſitionem noſtram.

VI. *Caudex*, ſeu corpus hujus arboris, ſunt ea, quæ ad ſubſtantiam Sacramentalis pœnitentiæ ſpectant: uti ſunt Dolor de peccatis, Propoſitum emendationis, Confeſſio, ſeu Narratio peccatorum.

VII. *Rami* ſeu brachia ejus ſunt ea, quæ ad integritatem ejusdem Sacramenti pertinent: uti ſunt Injuncta pœnitentia, Satisfactio pro peccatis, & Emendatio vitæ.

VIII. *Frondes* denique & *folia* ſunt alia adjuncta, idem Sacramentum proximè ſeu remotè contingentia: uti ſunt Sigillum confeſſionis, Regulæ conſcientiæ, Tractatio de ſcrupulis, peccatis, & imperfectionibus.

In

Digitized by Google

In hanc palmã (c) in hanc arborẽ myrrhæ, ſi lubet, aſcende,& apprehende fructus ejus.

CITATIONES.

(a) Plinius. *lib. 12. cap. 15.* Dioſcorides. *lib.* 1. *cap.* 67. (b) Exod. 19. 20. (c) Cant. 7. 8.

Caput Primum
DE
PRÆPARATIONE
AD CONFESSIONEM.

§. I.

De Examinatione Conſcientiæ.

I.

PRæparatio & Examen ante Confeſſionem ijs, qui rariùs confitentur, & ſæpiùs incidunt in gravia peccata, neceſſarium eſt, adeo ut ſine hoc ſe exponant periculo ſacrilegæ confeſſionis, ex defectu integritatis. Illis verò, qui ſæpiùs confitentur, & à gravioribus peccatis abſtinent, licèt haud ita neceſſarium ſit, utile tamen eſt, & facilè omitti non debet. Cùm enim confeſſio ſit res magni momenti, nõ oportet eâ in re negligentem eſſe, atque incurium.

II. In peccatorum inquiſitione non requiritur ſumma, ſed ſufficit moralis quædam diligentia; qualem nimirum homines adhibere ſolent in rebus ſuis magìs arduis, ac ſerijs. Ad hanc diligentiam ſpectat, ut ille, qui ſe examinat, ſolerter diſpiciat de ſpecie, & numero peccatorum mortalium.

III. Non eſt autem neceſſe, imò nec conſultum, omnia peccata venialia ſecundùm ſpeciem & numerum nimis ſollicitè ad confeſſionem inſtituendam colligere. Sed hoc optimum conſilium eſt ijs, qui mortaliter non delinquunt, ut illa venialia peccata, quæ animas ipſorum magìs gravant, & à quibus liberari ardentiùs deſiderant, novo concepto dolore, & propoſito emendationis, cum humilitate aperiant.

IV. An Examen præmiſſum ad validitatem Sacramenti fuerit ſufficiens, quidam hanc regulam tradit. Si poſt confeſſionem plura peccata mortalia memoriæ occurrunt, quàm in confeſſione dicta ſunt, examen non fuit ſufficiens, & confeſſio eſt iteranda. Si autem occurrunt multò pauciora, examen fuit ſufficiens, & confeſſio non eſt iteran-

iteranda, ſed ſatìs eſt, confiteri peccata antea in confeſſione omiſſa, & negligentiam, ſaltem ad cautelam.

V. Nemo tenetur peccata ſua ſcripto annotare: quibusdam tamen utile eſt, hoc facere. Qui peccata ſua facilè atque expeditè è memoria proferre poteſt, bene agit, ſi illa ſcribere omittat. Qui verò confeſſiones ſuas ſcribit, cavere debet, ut ſchediaſmata illa per incuriam non perdat, propter periculum infamiæ propriæ, & occaſionem peccati alieni, quod facilè ex lectione talis ſchedæ inventæ committi poteſt.

VI. Qui in confitendo frequentes ſunt, & exercitati, non indigent ordinariè catalogo ſcripto, vel impreſſo peccatorum, ex quo conſcientiam ſuam pro facienda confeſſione examinent. Utile tamen eſt, talem catalogum ſemel aut ſæpius legiſſe: unde talis etiam infrà ponetur.

VII. Quemadmodum peccata ſine ordine fiunt, ita de ordine narrandi ea in confeſſione plus juſto ſollicitum eſſe non convenit. Dic illa, ſi velis, prout memoriæ occurrunt tuæ; vel, ſi malis ſervare ordi-

nem, elige unum ex multis, qui tibi magìs arridet.

VIII. *Alius* autem ordo eſt per cogitationes, verba, & opera, atque omiſſionem. *Alius* per delicta in DEUM, Proximum, & Seipſum. *Alius* per decem præcepta, vel ſeptem vitia capitalia. *Alius* à levioribus peccatis ad graviora, vel viciſſim à gravioribus ad leviora. &c. Vide infra. *cap.* 8. §. 1. 2. 3. *& cap.* 9. §. 1. 2. 3.

IX. Ad bonam præparationem confeſſionis ſpectat etiam prudens electio Confeſſarij, in quo tria potiſſimùm attendere debes, Prudentiam, Doctrinam, & Virtutem: *prudentiam* quidem, ut te juvare poſſit; *doctrinam*, ut te juvare nôrit; *virtutem*, ut te juvare velit.

X. Confeſſarius indiſcretus, eſt ſicut medicus inexpertus, qui potiùs mortem procurat, quàm morbum curat. Confeſſarius indoctus, eſt ſicut ductor *cæcus*, qui, *ſi cæco ducatum* præſtat, & ſe & illum in foveam præcipitat. (*a*) Confeſſarius expers virtutis, eſt ſicut Oeconomus infidelis, cui quadrat illud effatum Eccleſiaſtici: *Qui ſibi nequam, cui bonus erit?* (*b*)

XI.

XI. Pulchrè hac de re loquuntur Origenes & Ambroſius. *Prior* quidem: conſidera, inquit, attentè, cui debeas peccata confiteri. Proſpice animæ tuæ de bono medico, qui nôrit infirmari cum infirmo, flere cum flente, compati patienti: Et, ſi medicus eſt expertus, & miſericors, ejus conſilia exequere, & quas tibi propoſuerit potiones, & pharmaca, excipe, quantumvis amara videantur. (*c*)

XII. *Poſterior* verò ſic ait: Pro Confeſſario elige virum, qui virtute & ſcientiâ te eminenter excedat, noveritque præſentibus periculis occurrere, futura prævidere, de imminentibus admonere, dubia, & argumenta tua ſolvere, & in tempore remedia adhibere, nec ſolùm conſilio, ſed etiam induſtriâ te juvare. Et denique talem, de quo poſſis dicere: *ſi mala mihi evenerint, per illum ſuſtineo; ſequor enim bene conſulentem, & confido in DEO, me non erraturum, ſi ejus conſilium ſequar; &, ſi quando, utpote homo, ex inadvertentia contingat errare, DEUS ejus errorem convertet mihi in ſalutem.* (*d*)

§. II.

De Contritione, & Attritione.

I.

DOlor de peccatis eſt duplex, Perfectus, & Imperfectus: hunc *Attritionem*: illum *Contritionem* vocant. Uterque hoc modo definitur. *Contritio* eſt animi dolor, ac deteſtatio voluntatis pro peccatis commiſſis, quatenus ſunt offenſa DEI ſuper omnia dilecti, cum ſpe veniæ, & propoſito non peccandi ampliùs, ſaltem mortaliter, ſuáque confitendi peccata, & pro ijs ſatisfaciendi. *Attritio* eſt dolor quidam de peccatis, qui vel ex conſiderata peccati turpitudine, vel ex metu inferni, vel alterius pœnæ à DEO infligendæ naſcitur.

II. *Contritio* ex vero & ſupernaturali DEI amore procedit, éſtque dolor perfectus, appretiativè ſummus, propter ſummum bonum offenſum, atque ideo efficax ad quævis peccata, etiam extra confeſſionem, delenda. *Attritio* autem ex ſervili DEI timore provenit, éſtque dolor imperfectus, atque hinc inſufficiens, ſine Sacramento,

mento, ad remiſſionem peccatorum mortalium obtinendam.

III. Tam Attritio, quàm Contritio debet eſſe ſupernaturalis, proveniens ex impulſu, ac motu Spiritûs Sancti, ut mereatur remiſſionem peccatorum. Unde ſi hæc vel illa ſit merè naturalis, & præcisè ex naturali principio & motivo exorta, nihil omnino facit ad juſtificationem, ſive cum Sacramento, ſive ſine illo. Sine fructu dolet, atque invalidè confitetur, quem ſolùm pœnitet peccâſſe propter infamiam, reprehenſionem, mulctam, ægritudinem &c. nullo habito reſpectu ad DEUM.

IV. Contritio, vel Attritio ad omnem confeſſionem requiritur. Unde, ſi quis confiteatur, nec priùs contritionem, vel attritionem eliciat, peccat mortaliter, etiamſi peccata merè venialia, aut mortalia per aliam confeſſionem jam deleta afferat. Ratio eſt, quia proxima materia Sacramenti pœnitentiæ non eſt ſola confeſſio, ſed etiam dolor de peccatis.

V. Qui bonâ voluntate ſunt præditi, ſtudioſi virtutum, Deique amantes, faciliùs contritionem eliciunt, quàm attritionem.

Qui

Qui verò pravos affectus habent, peccatis ſunt aſſueti, multis negotijs ac curis diſtenti, faciliùs atteri poſſunt ac ſolent, quàm conteri. Quare quivis ſuam, quam hac in re experitur, facilitatem ſequi poteſt; abſolutè tamen meliùs eſt, ut omnes ad perfectiſſimam contritionem ſeſe excitare conentur.

VI. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut dolor internus aliquo modo antecedat confeſſionem, vel ſaltem abſolutionem. Ad Sacramentum pœnitentiæ non ſufficit, dolere, quòd non ſatìs doleas: debes enim reipſa habere verum dolorem de peccatis. Utile tamen eſt, ex animo dolere, quòd talem, qualem oportet, contritionem in te non ſentias: hoc enim juvat animum ad meliùs dolendum, majorémque gratiam ex Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendam.

VII. Sicut *homo ignorat, dignúsne amore ſit, an odio*, (*e*) ita ſcire infallibiliter nequit, an veram ſemper, ac ſupernaturalem contritionem, vel attritionem habeat. Si tamen aliquis faciat, quantùm in ſe eſt, de vera & ſupernaturali contritione elicita dubitare, vel angi nullo modo debet. In

pleris-

Digitized by Google

pleriſque enim rebus humanis, atque in omni ferè negotio ſalutis noſtræ (ſi abſit revelatio DEI) major ſcientia, ac certitudo dari non ſolet, quàm moralis, cui quivis prudens ita debet acquieſcere, ut omnem ex animo diffidentiam, triſtémque ſollicitudinem deponat, ut quæ DEO diſplicet, neque aliunde trahit originem, quàm ex occultâ ſuperbiâ, & vitioſo amore ſui ipſius.

VIII. Huc facit illa veritas, & doctrina Theologorum, qui docent, DEUM ex eo, quòd hominem creaverit, & ordinârit ad finem ſupernaturalem, teneri quodammodo etiam, ei dare media ad talem finem proportionata. Cùm ergo contritio ſupernaturalis inter præcipua, & maximè neceſſaria ſalutis ac juſtificationis noſtræ media ſit, ſi quis hanc pro ſuorum remiſſione peccatorum elicere velit, &, prout oportet, conetur, DEUS illi ex officio ſuaviſſimæ providentiæ ſuæ concurſum ſupernaturalem nunquam denegat, modò aliunde homo nullum ponat obſtaculum.

IX. Quamvis contritio intra breve tempus, & uno ferè momento elici poſſit, conſultum tamen eſt, huic eliciendæ diutiùs immo-

immorari: quò enim illa prolixor, eò etiam melior eſt, modò vitetur ſcrupoloſa anxietas.

X. Contritio magis conſiſtit in animi dolore interno, quàm in externâ verborum prolatione: prodeſt tamen, & multùm facit ad animi quietem, etiam ore ac voce contritionis actum ex pio libello recitare; modò id fiat animo collecto, corde contrito, & humiliato. Non opus eſt multis verbis, ac longis orationibus. David unum verbum dixit, & plenam ſuorum peccatorum remiſſionem obtinuit. (*b*) Publicanus in templo, & Latro in cruce pauciſſimis verbis juſtificati ſunt.

XI. Vera contritio dolor eſt ex naturâ ſuâ inter omnes dolores ſummus, non quidem *intenſivè* ſemper, uti experientia teſtatur, ſed *appretiativè*, hoc eſt, ſecundùm æſtimationem illius mali, quod homo deteſtatur modo quodam ſummo, hoc eſt, ſuper omnia alia mala, quæ peccatum, & offenſa DEI non ſunt. Et hæc eſt cauſa, quòd contritio, quantumvis parva ac remiſſa, ſufficiens ſit ad omnia omnino peccata mortalia delenda.

XII.

XII. Valde errant, qui contritionem conſiſtere autumant in mœrore aliquo ſenſibili, qui lachrimas cieat, cor conſtringat, gemitus ac ſuſpiria protrudat: talis enim dolor, licèt ad contritionem multùm ſæpe conducat, eam tamen nequaquam conſtituit, neque ſemper in poteſtate hominis eſt: imò quandoque fraudibus dœmonis, atque alijs illuſionibus ſubjacet.

XIII. Fieri poteſt, & ſolet, ut quis veram habeat contritionem de peccatis ſuis, & ſimul de alijs malis, atque incommodis temporalibus multum doloris ac timoris ſentiat, ob infamiam v. g. reprehenſionem, caſtigationem, jacturam valetudinis, favoris humani &c. Dolores enim iſti ſecundarij tantùm ſunt de malis acceſſorijs, qui primarium de DEO offenſo non tollunt, ſed ſolùm comitantur.

XIV. Non requiritur, ut de gravioribus peccatis magìs, de levioribus minùs conteraris. Nec item opus eſt, ut de quovis peccato ſeorſim doleas, ſed ſufficit dolor quidam generalis, qui æqualiter feratur in omnia peccata à te commiſſa. Prudenter tamen, ſanctéque fit, ut, qui graviùs deliquit, vehementiùs

Digitized by Google

tiùs etiam doleat. Deſcendere autem ad ſingula peccata, nec utile videtur eſſe, nec conſultum.

§. III.

De Propoſito Emendationis.

I.

Verus dolor de peccato includere debet propoſitum de cætero non peccandi: ad hoc autem duæ conditiones requiruntur. *Primò* enim debet propoſitum eſſe efficax. *Secundò*, extendere ſe debet ad omnia peccata mortalia (ſaltem in communi) & ad omnes occaſiones propinquas peccandi mortaliter.

II. Efficacia propoſiti in hoc conſiſtit, ut aliquis talem habeat voluntatem non peccandi ampliùs, quæ voluntatem huic contrariam, hoc eſt, iterum peccandi, penitus excludat. Et hæc voluntas eſt, ac dicitur *efficax* ideo, quia, quamdiu in homine perſeverat, peccatum efficaciter impedit, adeo quidem, ut homo, eo durante, peccare nullo modo poſſit.

III. Fieri autem poteſt, & teſte experientiâ, ſæpe ſolet, ut hæc voluntas non peccandi,

Digitized by Google

candi, quæ fuit efficax ante confeſſionem, & aliquamdiu poſt eam duravit, paulatim deinde intepeſcat, minuatur, atque omnino exſpiret, atque ita homo incipiat iterum peccare, atque in priſtinos defectus relabi.

IV. Ex quo duplex corollarium deducitur. *Primò* non eſſe certum argumentum propoſiti inefficacis, ſi denuo fiat relapſus in antiqua peccata. *Secundò* poſſe fieri, ut aliquis habeat efficax propoſitum ampliùs non peccandi, & ſimul valde probabiliter judicet, ſe iterum peccaturum.

V. Nemo tamen hac in re ſibi plus æquo blandiatur. Si ſtatuis, ampliùs non peccare, & poſtea æquè multùm, vel etiam plùs peccas, quàm antea, quis credat, te habuiſſe propoſitum efficax? Si fuit efficax, quomodo nullum habuit effectum? Teſte Alberto Magno, *argumentum falſæ contritionis habet, qui, quamvis peccata defleat, tamen continuò poſt dolorem eadem, vel alia committere non formidat.* (*f*) Et S. Auguſtino, qui ait: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata. Nihil valet, de malis veniam petere, & mala denuo iterare. Bona*

tiùs etiam doleat. Deſcendere autem ad ſingula peccata, nec utile videtur eſſe, nec conſultum.

§. III.

De Propoſito Emendationis.

I.

VErus dolor de peccato includere debet propoſitum de cætero non peccandi: ad hoc autem duæ conditiones requiruntur. *Primò* enim debet propoſitum eſſe efficax, *Secundò*, extendere ſe debet ad omnia peccata mortalia (ſaltem in communi) & ad omnes occaſiones propinquas peccandi mortaliter.

II. Efficacia propoſiti in hoc conſiſtit, ut aliquis talem habeat voluntatem non peccandi ampliùs, quæ voluntatem huic contrariam, hoc eſt, iterum peccandi, penitus excludat. Et hæc voluntas eſt, ac dicitur *efficax* ideo, quia, quamdiu in homine perſeverat, peccatum efficaciter impedit, adeo quidem, ut homo, eo durante, peccare nullo modo poſſit.

III. Fieri autem poteſt, & teſte experientiâ, ſæpe ſolet, ut hæc voluntas non peccandi,

candi, quæ fuit efficax ante confeſſionem, & aliquamdiu poſt eam duravit, paulatim deinde intepeſcat, minuatur, atque omnino exſpiret, atque ita homo incipiat iterum peccare, atque in priſtinos defectus relabi.

IV. Ex quo duplex corollarium deducitur. *Primò* non eſſe certum argumentum propoſiti inefficacis, ſi denuo fiat relapſus in antiqua peccata. *Secundò* poſſe fieri, ut aliquis habeat efficax propoſitum ampliùs non peccandi, & ſimul valde probabiliter judicet, ſe iterum peccaturum.

V. Nemo tamen hac in re ſibi plus æquo blandiatur. Si ſtatuis, ampliùs non peccare, & poſtea æquè multùm, vel etiam plùs peccas, quàm antea, quis credat, te habuiſſe propoſitum efficax? Si fuit efficax, quomodo nullum habuit effectum? Teſte Alberto Magno, *argumentum falſæ contritionis habet, qui, quamvis peccata defleat, tamen continuò poſt dolorem eadem, vel alia committere non formidat.* (f) Et S. Auguſtino, qui ait: *Inanis eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata. Nihil valet, de malis veniam petere, & mala denuo iterare. Bo-*

na eſt peccatorum confeſſio, ſi etiam curatio ſequatur. (g)

VI. Qui pollicetur fugam peccatorum mortalium, & non cogitat eorum propinquam occaſionem evitare, vehementer errat, ſi verum ſe credat habere propoſitum. Síque taliter conſtitutus confiteatur, ſibi imponit, mentitur DEO, & Sacramento pœnitentiæ illudit.

VII. Occaſio *propinqua* peccandi eſt, quando aliquis in tali occaſione difficulter poteſt, & vix unquam ſolet abſtinere à peccato. *Remota* verò peccandi occaſio eſt, in qua aliquis facilè poteſt, & ſæpe ſolet evitare peccatum. Utrùm autem hæc vel illa res tibi propinqua occaſio ſit, an remota, id ab experientia, & agnitâ fragilitate tuâ, aut ex alijs circumſtantijs dignoſcere poteris. Propinqua tibi occaſio eſſe poteſt hoc vel illud, quod alteri vix remota, aut nulla omnino occaſio eſt peccandi.

VIII. Qui conſcientiæ puritati ſtudioſiùs invigilant, pericula peccandi non ſolùm propinqua, ſed etiam remota fugere ſtatuunt, réque ipsâ fugiunt, ea præſertim, quæ in rebus magìs lubricis, & illecebroſis ſunt, quæque ex vitio naturæ, vel conſuetudine,

vel

vel alia ex cauſa plus afferunt, vel afferre poſſunt nocumenti.

IX. Sicut ad confeſſionem peccatorum etiam merè venialium requiritur contritio, vel attritio, ita ad eandem neceſſarium eſt propoſitum vitandi peccata, adeo quidem, ut ſine tali propoſito confeſſio invalida fiat, ac ſacrilega.

X. Sciendum tamen eſt, propoſitum vitandi peccata venialia nonnihil diverſum eſſe à propoſito vitandi peccata mortalia: Non enim teneris vitare omnia peccata venialia, ſicut mortalia. Quare ſi vel unum peccatum veniale efficaciter emendare ſtatuiſti, pœnitentiæ Sacramento jam ſatisfeciſti. Item non teneris velle vitare occaſiones etiam propinquas peccatorum venialium, ſicut mortalium: tam gravis enim obligatio circa leviora peccata eſſe non poteſt, quàm circa grandiora.

XI. Terruit te forſan hæc adeo ſevera doloris, ac propoſiti ad quamlibet confeſſionem requiſiti obligatio, præſertim ſi talis es, qui ſæpius confiteris, & alia plerunque peccata non affers, quàm quibus hactenus, ceu pani quotidiano, aſſueviſti, eáque in pari ferè numero, qualitate, & quantitate confiteri ſoles.

 XII.

hoc ipſo cenſeris, nolle ampliùs peccare, Deúmque offendere, tametſi hoc verbis clarè non exprímas.

XV. Interea tamen melius eſt, ac ſecurius, non tantùm virtuale propoſitum, atq; implicitum, ſed etiam explicitum, ac formale ante confeſſionem elicere. Imò ſi quis memor peccati cujusdam gravis ſentiret, ſe ad id tunc allici, atque incitari, teneretur expreſſum, & formale habere propoſitum, juxta ſententiam Theologorum.

XVI. Sicut contritio, ita & propoſitum non debet neceſſariò extendi ad omnia peccata mortalia ſeorſim & in particulari, ſed ſufficit, ſi in genere feratur in omnia, non habito diſcrimine majoris, vel minoris malitiæ. Neque item neceſſarium eſt, ut aliquis comparationem inſtituat, dicátque v. g. *Propono poſthac mille potiùs vitas profundere, omnium bonorum jacturam facere, valetudinem, famam, & quidvis aliud amittere, potiùs ad tempus vel æternùm gehennæ flammas pati, quàm vel unicum peccatum mortale, aut etiam veniale ſcienter ac deliberatè committere.*

XVII. Propoſitum cum tali comparatione factum, equidem bonum, ſublime, ac

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

valde perfectum eſt, omnibus tamen haud convenit, imò quibusdam periculoſum eſt. Si DEI Spiritus te agat, ſi fervor charitatis te urgeat, ſi nullam timeas vertiginem, nullum periculum, indulgere potes affectui tuo, & agere, quod lubet, & tua tibi devotio dictat.

CITATIONES.

(a) Matth. *15. 1.* (b) Eccli. *14. 3.* (c) Origen. *hom. 2. in Pſalm.* 37. (d) S. Ambroſ. *lib. de Officijs. cap. 8.* (e) Eccle. 9. 1. (f) Albert. M. *in Parad. anim. cap. 39.* (g) S. Auguſtinus, *citatus à Soto in meth. confitendi part. 5. §. de peccat. recid.*

Caput Secundum.

DE CONFESSIONE, SEU NARRATIONE PECCATORUM.

§. I.

De Materia Confeſſionis.

I.

Confeſſio in peccatorum enarratione conſiſtit. Materia confeſſionis ſunt, *primò*, Peccata mortalia, & venialia, & quæ

Digitized by Google

quæ nunquam confeſſus es. *Secundò* Peccata mortalia, & venialia, quæ per confeſſionem jam àliàs ritè, & legitimè expiâſti.

II. Solent ſubinde timoratæ conſcientiæ homines etiam defectus aliquos confiteri, qui propriè peccata non ſunt, ſed tantùm *morales imperfectiones*, uti communiter vocari ſolent: hoc autem faciunt, vel ad majorem humilitatem, vel pro majore animi pace, vel etiam pro remiſſione culpæ, quæ ſæpe, imò plerunque talibus defectibus admixta eſt. Quare illi, qui ſimiles defectus confitentur, culpari non debent.

III. Defectus ejusmodi ſunt *primò* illi actus, qui tantùm conſilio, & perfectioni virtutis repugnant, non autem præcepto, vel ipſi virtuti: uti eſt v. g. omiſſio precum, vel operum ex laudabili devotione ſuſceptorum; denegatio obſequij, quod alteri præſtare facilè poſſes, non tamen teneris &c. *Secundò* Transgreſſiones earum legum, regularum & ſtatutorum, quæ non obligant ſub pœna; uti eſt v. g. neglectus earum rerum, quas vi regularum Ordinis, non obligantium ſub peccato; legum item

Congregationis, vel Gymnaſij, Religionum Alumni, Sodales Beatæ Virginis, & ſtudioſi litterarum facere tenentur. De his defectibus, ſeu imperfectionibus plura dicentur infrà, *part.* 1. *cap.* 7. §. 1. 2. 3.

IV. Non tenemur omnia peccata venialia confiteri. Unde, ſi quis unum vel plura etiam peccata venialia, ſcienter ac ſtudio in confeſſiõe reticeat, nullo modo peccat. Poſito autem, quòd velis Sacramentaliter confiteri, debes ſaltem unum peccatum in ſpecie explicare, alioquin abſolvi non potes.

V. Valde utile eſt, atque conſultum, ea peccata venialia diligenter confiteri, quæ majorem malitiam habent, quæque majore cum deliberatione facta ſunt. Ut, ſi datâ operâ mentitus es, alium contriſtâſti, res impudicas curioſè aſpexiſti &c. Et, ſi inſuper his venialibus peccatis numerum adjungas, bene facis, licèt ad id faciendum non tenearis.

VI. Bona mente, ſed minùs peritè confitentur, qui ſe accuſant de peccatis & defectibus quibusdam nimis generalibus, quibus non illi tantùm, ſed omnes omnino homines obnoxij ſunt; v. g. qui dicunt:

DEUM

Digitized by Google

DEUM, uti par eſt, non amavi. Illi pro acceptis beneficijs non ſatìs gratus fui. Beatam Virginem, & alios Sanctos debita veneratione non proſecutus ſum. Proximum, ſicut me ipſum non dilexi. In ſtudio virtutum, & vitiorum expulſione, æquo ſegnior fui. Accuſo me de omnibus ijs, in quibus me DEUS culpabilem ſcit. &c.

VII. Hæ & ſimiles confitendi formulæ ab ordinaria confeſſione proſcribi debent, quia ſunt impertinentes, inutiles, moleſtæ Confeſſario; prolongant enim ſine cauſa confeſſionem, & eos, qui confiteri volunt, retardant. Si talia velis in annua generali confeſſione reliquis tuis peccatis ſubnectere, nolim id tibi diſſuadere, modò ea non nimiùm accumules.

VIII. Scrupuli (ſi verè tales ſint) non ſunt materia confeſſionis, quia non ſunt peccata, ſed meri timores, & apprehenſiones peccatorum, contra quas agere licitum eſt, imò laudabile, ut adeo melius ſit, de his in confeſſione nihil omnino dicere: qui enim à ſcrupulis liberari vult, ijs reſiſtere debet, non indulgere. Plura de his infrà.

IX. Omnia peccata mortalia, in confeſſione ritè peractâ, remittuntur, etiam ea, quæ per oblivionem, vel alia juſta de cauſâ dicta non ſunt. Illa enim, quæ dicuntur in confeſſione, remittuntur *directè*, & ſine obligatione ulteriùs ea confitendi: quæ verò per oblivionem, aut alia juſta de cauſa dicta non ſunt, remittuntur *indirectè*, & cum obligatione, ea (ſi iterum occurrant, vel cauſa tacendi ceſſet) denuo confitendi.

X. Unde, ſi quis in confeſſione unius vel plurium mortalium oblitus eſt, ac eorum poſtea recordetur, tenetur ea in proxima confeſſione manifeſtare. Si autem probabiliter judicet, ſe peccatum aliquod jam ſemel cōfeſſum eſſe, licèt certâ illius memoriam ampliùs non habeat, non tenetur id rurſum confiteri, niſi fortè hoc facere malit pro majore ſecuritate, & animi pace.

XI. Ratio hujus doctrinæ eſt, quia omnia peccata mortalia, quorum homo certam, vel etiam (juxta multorum ſententiam) dubiam cognitionem habet, debent, ſemel ſaltem, *clavibus Eccleſiæ directè ſubjici*, hoc eſt, in confeſſione coram legitimo Judice ſpirituali manifeſtari.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De ſpecie, & numero peccatorum.

I.

AD integritatem Confeſſionis, ex definitione Concilij Tridentini (*a*) duo requiruntur. *Primò*, ut ſpecies peccatorum mortalium explicetur. *Secundò*, ut numerus eorundem exprimatur.

II. *Numerica* peccatorum diſtinctio potiſſimùm ex actuum interruptione, & repetitione deſumitur. *Specifica* autem ex repugnantia cum diverſis virtutibus, vel ex diverſo modo repugnandi ijsdem. Quæ res, cùm multis implexa ſit difficultatibus, breviter & clarè hîc explicari nequit. Tibi ſufficiant, quæ hoc, & ſequenti paragrapho, & infrà *part.* 1, *cap.* 10. §. *1. 2. 3.* & *cap.* 11. §. *1. 2. 3.* & *cap. 12.* §. 1, 2, 3. de varia peccatorum claſſe dicentur.

III. Peccatum mortale quoad ſpeciem confiteri, eſt, illud verbis ita claris ac proprijs dicere, ut Confeſſarius intelligere poſſit, qualenam illud peccatum ſit; juramentum,

Digitized by Google

IX. Omnia peccata mortalia, in confeſſione ritè peractâ, remittuntur, etiam ea, quæ per oblivionem, vel alia juſta de cauſâ dicta non ſunt. Illa enim, quæ dicuntur in confeſſione, remittuntur *directè*, & ſine obligatione ulteriùs ea confitendi: quæ verò per oblivionem, aut alia juſta de cauſa dicta non ſunt, remittuntur *indirectè*, & cum obligatione, ea (ſi iterum occurrant, vel cauſa tacendi ceſſet) denuo confitendi.

X. Unde, ſi quis in confeſſione unius vel plurium mortalium oblitus eſt, ac eorum poſtea recordetur, tenetur ea in proxima confeſſione manifeſtare. Si autem probabiliter judicet, ſe peccatum aliquod jam ſemel cōfeſſum eſſe, licèt certã illius memoriam ampliùs non habeat, non tenetur id rurſum confiteri, niſi fortè hoc facere malit pro majore ſecuritate, & animi pace.

XI. Ratio hujus doctrinæ eſt, quia omnia peccata mortalia, quorum homo certam, vel etiam (juxta multorum ſententiam) dubiam cognitionem habet, debent, ſemel ſaltem, *clavibus Eccleſiæ directè ſubjici*, hoc eſt, in confeſſione coram legitimo Judice ſpirituali manifeſtari.

§. II.

§. II.

De ſpecie, & numero peccatorum.

I.

AD integritatem Confeſſionis, ex definitione Concilij Tridentini (*a*) duo requiruntur. *Primò*, ut ſpecies peccatorum mortalium explicetur. *Secundò*, ut numerus eorundem exprimatur.

II. *Numerica* peccatorum diſtinctio potiſſimùm ex actuum interruptione, & repetitione deſumitur. *Specifica* autem ex repugnantia cum diverſis virtutibus, vel ex diverſo modo repugnandi ijsdem. Quæ res, cùm multis implexa ſit difficultatibus, breviter & clarè hîc explicari nequit. Tibi ſufficiant, quæ hoc, & ſequenti paragrapho, & infrà *part.* 1, *cap.* 10. §. *1. 2. 3.* & *cap.* 11. §. *1. 2.* 3. & *cap.* 12. §. 1, 2, 3. de varia peccatorum claſſe dicentur.

III. Peccatum mortale quoad ſpeciem confiteri, eſt, illud verbis ita claris ac proprijs dicere, ut Confeſſarius intelligere poſſit, qualenam illud peccatum ſit; juramentum,

tum, an perjurium; furtum, an ſacrilegium; delectatio moroſa, an deſiderium rei illicitæ &c.

IV. Peccata ſua quoad ſpeciem non ſatìs declarant, qui verbis ea, nimis amplam latámque ſignificationem habentibus, confitentur: ut, ſi quis v. g. dicat: *Habui malas cogitationes. Dixi verba inhoneſta. Peccavi contra caſtitatem. Fui cauſa peccati.* Ex his enim verbis Confeſſarius ſcire nequit, an cogitationes habuerit iracundas, incaſtas, an alias: an verba dixerit ſcurrilia, an laſciva: an peccârit contra caſtitatem opere, aut verbo, aut ſolùm cogitatione: an cauſa fuerit peccati mortalis, an venialis. Dicendum ergo eſt: *Cogitationes habui iracundas. Verba dixi ſcurrilia. Rebus impudicis moroſè delectatus ſum. Cauſa fui, quòd alter venialiter deliquerit, juraverit.*

V. Speciem item peccati non exprimunt ſufficienter, qui circumſtantiam aliquam dicere omittunt, quæ peccato novam, ac diverſam malitiam addit: ut, ſi quis confiteatur v. g. furtum, & circumſtantiam loci ſacri non indicet. Item, qui dicit, ſe jurâſ-

Digitized by Google

jurâſſe, & reticet falſitatem juramenti. Qui de peccato luxuriæ ſe accuſat, & de voto caſtitatis, quod habet, nihil manifeſtat. De hoc plura in ſequente paragrapho.

VI. In explicatione ſpeciei peccaminoſæ errant, qui verbis valde ambiguis, prolixis, ac ſubobſcuris peccata ſua non tam explicant, quàm occultant: ut, qui v. g. malitiam dœmonis multùm exaggerat, ſuámque infirmitatem, occaſionum illecebras graviter incuſans, denique ait, ſe hominem eſſe, neque ſatìs fortiter dimicâſſe contra tentationem, ſed aliquantulùm eidem ſuccubuiſſe. Quid, obſecro, opus eſt tanto verborum apparatu? Dic pauculis verbis: *Impuras cogitationes libenter habui*; & totum vulnus tuum detexiſti.

VII. Sunt quædam peccata ex ſe quidem, atque ex genere ſuo gravia, & mortalia, quæ tamen (præſertim apud adoleſcentes) ſæpe parva fiunt & venialia, vel ex parvitate materiæ, vel ex imperfecta deliberatione, vel alia de cauſa. Unde, qui talia ſimpliciter, ac ſine limitatione confitetur, non videtur ſufficienter ſeipſum declarare: v. g. Si dicas: *Furatus ſum. Alteri detraxi,*

Digitized by Google

detraxi. Dixi verba impudica. Proximum offendi&c. & nihil addas, neſciet Confeſſarius, peccarísne venialiter, an mortaliter. Adjunge igitur, multúmne furatus ſis, an parùm: leviter alteri detraxeris, an graviter: an dixeris verba impudica ex libidine, an ex levitate; cum gravi, an levi ſcandalo aliorum: an proximum offenderis in re gravi; an ex odio, & amore vindictæ; an ex ſubita, & indeliberatâ irâ; an ex petulantia, & levitate.

VIII. Si quis unum duntaxat peccatum mortale, aut circumſtantiam aliquam neceſſariam ſcienter omittit, non tantùm ſacrilegium committit, ſed confeſſionem inſuper invalidam reddit. Quin imò, ſi quis peccatum aliquod mortale, vel ejuſmodi circumſtantiam reticere deliberatò propoſuit, ídque nihilominus in confeſſione poſtea expreſſit, non valebit confeſſio, niſi hoc etiam addat, quòd de eo peccato ſeu circumſtantiâ Confeſſarium celare ſtatuerit.

IX. Qui numerum mortalium de induſtria, vel ex gravi incuria in confeſſione omittit, peccat mortaliter, haud ſecus, quàm ſi aliquod grave peccatum ſtudio reticeret.

X. Qui

Digitized by Google

X. Qui certum numerum ſuorum peccatorum mortalium ſcire nequit, dicere debet probabilem: ſi verò neque hunc determinare poteſt, ſatìs eſt, indicare conſuetudinem per diem, hebdomadem, menſem, annum.

XI. Si confeſſus es, te peccatum aliquod unius ſpeciei v. g. vigeſies, plùs minùs, commiſiſſe, & poſtea recorderis, te vigeſies bis, aut tantùm decies octies perpetrâſſe, non eſt neceſſe, repetere confeſſionem, & illum exceſſum, aut defectum numeri explicare.

§. III.

De Circumſtantiis Peccatorum.

I.

SIcut rebus omnibus, ita & peccatis ſeptem potiſſimùm circumſtantiæ adjungi, vel ineſſe poſſunt, quæ communiter hoc verſiculo declarantur: *quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando?* Per, *Quis*, intellige perſonam, à qua peccatur. Per, *Quid*, materiam, in qua peccatur. Per, *Ubi*, locum, in quo peccatur. Per,

Digitized by Google

Per, *Quibus auxilijs*, ſocios, aut complices, quibuſcum peccatur. Per, *Cur*, cauſam, ſeu finem, ob quem peccatur. Per, *Quomodo*, modum, quo peccatur. Per, *Quando*, tempus, & moram, quo, & quâ peccatur.

II. Omnes hæ circumſtantiæ malitiam peccati poſſunt augere, & minuere. Eam *augent*, quando novam illi malitiam adjungunt, aut propriam modo quocunque intendunt. Eam *minuunt*, quando libertatem actûs impediunt, aut ejus vehementiam aliqualiter retundunt.

III. Si circumſtantiæ malitiam peccati ſic augent, vel minuunt, ut illud mortalem malitiam amittat, aut aliam alterius ſpeciei acquirat, dicuntur *mutare ſpeciem peccati*, & harum (uti poſtea dicetur) peculiaris habenda eſt ratio in confeſſione.

IV. Breviter hîc dicta exemplis declaro.

Amianus Sacerdos peccavit contra caſtitatem, & duplici delicto ſe obſtrinxit: impuritatis, & ſacrilegij, propter circumſtantiam *Perſonæ*.

Baſilius adoleſcens furatus eſt tres baceos, & tantùm venialiter peccavit, mortaliter alio-

alioquin peccaturus, ſi tres florenos furatus eſſet, propter circumſtantiam *Materiæ*.

Cleanthus miles occidit hoſtem ſuum in templo, & præter homicidium, commiſit ſacrilegium propter circumſtantiam *Loci*.

Diodorus Catholicus comedit die Veneris carnes, & DEUM mortaliter offendit, propter circumſtantiam *Temporis*.

Eligius maritus peccavit cum Moniali conſanguineâ ſuâ, & quatuor ſcelera uno commiſit actu, Libidinem, Injuſtitiam, Sacrilegium, Inceſtum, propter circumſtantiam *Complicis*.

Fulgentius famulus, adactus & quaſi coactus ab hero ſuo, conſenſit in peccatum, & minùs deliquit, quàm alius, qui citra metum id ipſum fecit, propter circumſtantiam *Modi*.

Gelaſius Mercator leviter mentitus eſt, ut alteri grave damnum inferret, & ita mentiendo mortalem contraxit noxam, propter circumſtantiam *Finis*.

V. Certa eſt omnium Doctorum ſententia, eas circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant, neceſſariò in confeſſione aperiendas eſſe. Atque ita definit Conci-

lium Tridentinum his verbis : *prætereà colligitur, eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant.* (*b*) Ex hac generali doctrina quinque ſequentia deduco corollaria.

VI. *Primò.* Si peccata, quæ ex natura ſua, vel juxta communem uſum, tantùm ſunt, aut eſſe ſolent venialia, propter adjunctam circumſtantiam facta ſint mortalia, neceſſariò dicenda ſunt in confeſſione, unà cum illa, quæ eis acceſſit, circumſtantiâ. Hinc malè confitentur, qui dicunt, ſe mentitos eſſe, ſe alijs detraxiſſe, & nullam faciunt mentionem gravis damni, quod per hæc peccata alijs intulerunt.

VII. *Secundò.* Si peccata, quæ ex natura ſua, vel juxta communem uſum, non niſi ſimplicem habent, aut habere ſolent malitiam mortalem, ex adjuncta circumſtantia acquirant aliam malitiam itidem mortalem, neceſſariò dicenda ſunt in confeſſione, unà cum illa circumſtantia aggravante. Hinc malè confitentur illi, qui ſe de peccatis contra caſtitatem commiſſis accuſant, & nihil de voto caſtitatis dicunt, quo ſe obſtrinxerunt.

VIII.

Digitized by Google

VIII. *Tertiò.* Si peccata, quæ ex natura ſua, vel juxta communem uſum, ſunt vel eſſe ſolent mortalia, propter adjunctam circumſtantiam facta ſint tantùm venialia: nulla quidem eſt obligatio ea dicendi in confeſſione; qui tamen illa confiteri vult, neceſſariò debet aperire illam circumſtantiam minuentem, ne Confeſſarius in judicio rei gravis fallatur, æſtimando peccatum eſſe mortale, quod ſolùm eſt veniale. Hinc malè confitentur illi, qui dicunt, ſe turpes habuiſſe cogitationes, motúſque incaſtos: neque addunt, hoc accidiſſe in ſomno, vel cum imperfecta deliberatione, & ſemiplena advertentia, vel ſine ullo conſenſu.

IX. *Quartò.* Circumſtantiæ peccati aggravantes, quæ ſpeciem peccati non mutant, neque ex veniali faciunt mortale, non ſunt neceſſariò in confeſſione dicendæ: v. g. Si delectatus es moroſè, non eſt neceſſe dicere, quamdiu delectatio illa duraverit. Si te inebriâſti, non eſt opus dicere, hoc die feſto accidiſſe.

X. *Quintò.* Circumſtantiæ peccati minuentes, niſi malitiam peccati omninò tollant, vel ex mortali veniale faciant, non

ſunt neceſſariò dicendæ in confeſſione. Unde, qui ex gravi metu ſcienter, ac deliberatè peccavit mortaliter, tenetur quidem peccatum ſuum confiteri, circumſtantiam autem metûs illius ſi dicere omittat, non peccat.

XI. Quamvis circumſtantias illas, quæ malitiam peccati citra mutationem ſpeciei augent, nemo teneatur in confeſſione declarare; nihilominus cum laude, fructúque id fieri non tantùm poteſt, ſed etiam ſolet ab hominibus, qui timoratæ ſunt conſcientiæ: tum propter maiorem ſecuritatem, & quietem animi, ſi fortè circumſtantiæ illæ à parte rei mutâſſent ſpeciem; tum propter majorem fidelitatem, & victoriam ſui ipſius, quæ coram DEO valde eſt meritoria, & ſatisfactoria pro peccatis.

XII. Hoc autem de peccatis venialibus quoque intelligi poteſt: unde, teſte S. Franciſco Sales (*c*) optimè agunt, qui venialibus peccatis circumſtantias aggravantes, præſertim ex fine adjungunt, ut, ſi v. g. mentitus es ob vanam gloriam, confitearis non tantùm mendacium tuum, ſed etiam vanitatem, ex qua illud profluxit.

Si

Si alium reprehendiſti ex cupiditate vindictæ, non tantùm dicas importunam reprehenſionem, ſed etiam inordinatam paſſionem iræ.

CITATIONES.

(a) Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* (b) Idem *loc. cit.* (c) S. Sales. *in introduct. in vit. devot. part. 2. cap. 19.*

Caput Tertium
De
Proprietatibus Bonæ Confessionis.

§. I.

De Puritate, & Veritate Confeſſionis.

I.

Ante omnia confeſſio debet eſſe pura & verax: *pura* quidem, quia puritatem animæ pro fine habet: *verax*, quia quandam judicij formam continet. Confeſſio pura eſt, ſi nihil labis ex affectu inordinato contrahat. Confeſſio verax eſt, ſi

omnem hypocriſin , & falſitatem excludat.

II. Contra puritatem confeſſionis agunt, qui aliquid à dignitate ac fine Sacramenti diverſum quærunt. Sic vitiant confeſſionem, qui illam obeunt ex vana gloria, ob lucrum temporale, aut ſolatium humanum.

III. Veracitati confeſſionis adverſantur, qui in ea Confeſſario mentiuntur, dum ea, quæ fecerunt, negant; aut ea, quæ non fecerunt, affirmant: dum item certa aſſerunt pro dubijs, aut dubia pro certis; dum denique ſua peccata verbis ambiguis, atque obſcuris fallaciter involvunt, tegunt, atque excuſant.

IV. Sacramento pœnitentiæ injuriam quodammodo irrogant, qui de rebus à confeſſione alienis, in confeſſionali cum Confeſſario tractant: id quod faciunt. *Primò* illi, qui ſæcularia negotia hîc loci expediunt; de rebus domeſticis, aut ſcholaſticis cum Confeſſario agunt. *Secundò*, qui rumores belli narrant, aut mores aliorum taxant. *Tertiò*, qui ſuam exaggerantes inopiam, eleemoſynam emendicant. Quíque cor-

Digitized by Google

corporis infirmitates prolixè proponunt,& de remedijs earum anxiè inquirunt. *Auferte iſta hinc* (*a*) ô Judæi, non Chriſtiani! Locus iſte, locus compunctionis eſt, & vos illum facitis officinam vanitatum.

V. Nihil ita puritati confeſſionis officit, atque amor carnalis aut ſenſualis, ſive Confitentis erga Confeſſarium, ſive Confeſſarij erga Confitentem. Cùm enim Confeſſio ſit res ſacroſancta, quæ ſita eſt *in ſpiritu, & veritate*, nulla re magìs inquinatur, quàm tali affectu, qui provenit *ex carne, & ſanguine.*

VI. Certè amor inordinatus, ſive intra ſive extra confeſſionem, ſemper diſplicet DEO, placet Diabolo, extinguit ſpiritum, emollit animum, devotionem impedit, compunctionem tollit, virtutes enervat, tentationes auget, elicit munuſcula, frequentat colloquia, ſexcentis miſcetur nugis, & mille committit ineptias.

VII. *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* (*b*) Quid amor & blanditiæ in tam ſerio negotio animæ? An poteſt mollis & ſuavis dilectio habere locum in humili corde, & ſpiritu contrito? Nunquid Judex jucunda-

ri, deliciaríque ſolet cum reo, aut reus cum Judice, quando hic decretoriam profert, & ille audit ſententiam?

VIII. Quare, ſi ſapis & ſentis, hanc fuge ſenſualitatem in confeſſione, téque ab omni ejusmodi inordinatione liberum ſerva. Eſto cautus & prudens; non enim omne, quod micat, aurum eſt, & ſæpe ſub ſpecie veræ charitatis, vitium latet fœdæ carnalitatis, quódq; in ſpiritu inchoatur, & continuatur aliquandiu cum virtute, paulatim deſinit in vitium, & denique conſum̃atur in carne.

IX. Mentiri in confeſſione, peccatum eſt ex genere ſuo mortale; excuſat autem parvitas materiæ: mendacium enim de peccato veniali, non eſt peccatum mortale, niſi illud veniale totalis eſſet materia confeſſionis; nam tunc daretur abſolutio ſine materia, & Sacramentum eſſet nullum.

X. Excuſatur item à peccato mortali, qui mentitur in confeſſione de re impertinente ad confeſſionem, nec requiſitâ ad judicium Confeſſarij. Ut, ſi Pœnitens afferat circumſtantiam falſam, quæ ſpeciẽ peccati non mutat: vel, ſi mendax det reſponſum Confeſſario, quædam à confeſſione aliena ſciſcitanti.

IX.

XI. Mortale ſacrilegium eſt, ſi quis ſtudio unum vel plura peccata mortalia in confeſſione dicit, quæ certò, aut quaſi certò novit, à ſe nunquam commiſſa eſſe. Idem puta, ſi quis numerum peccatorum mortalium ſcienter ac ſtudio ultra verum auget. Unde rudes & imperiti homines graviter hallucinantur, qui, ne errent in parvo numero, numerum dicunt valde excedentem, rati, hoc modo numerum parvum in majore incluſum ſufficienter explicari.

XII. Peccata in confeſſione eo modo dici debent, quo cognoſcuntur. Si notitia illorum ſit certa, aut probabilis, ea ſimpliciter, ac ſine ambiguitate confiteri oportet; dicendo v. g. *Ebrius fui, bis. Sacrum die feſto neglexi, ſemel.*

XIII. Si verò cognitio peccatorum ſit dubia, tum etiam ſub dubio peccata proferri debent. Modus autem dubitandi varius eſt: unde etiam ratio peccata dubia confitendi varietatem habet. Si ſcias, rem aliquam eſſe peccatum mortale, dubitas autem, an rem illam feceris ſatìs advertenter, & deliberatè, poteris illam hoc modo confiteri: E. G. *Alteri ex ſubita ira, & vehe-*

menti commotione animi grave malum imprecatus ſum, dubito, an ſatìs deliberatè. Habui turpes cogitationes, & ſenſi incaſtos corporis motus, dubito, an cum conſenſu, ſaltem imperfecto.

XIV. Si ſcias, te rem aliquam feciſſe, dubitas autem, utrum res illa ſit peccatum grave, tum primò diſpicere debes, an illud dubium habueris antè, vel tunc, quando rem illam feciſti; an verò poſtea primùm, quando res illa jam peracta fuit. Si dubitatio opus tuum anteceſſit, vel ei, dum fieret, conjuncta fuit, tunc illud confiteri debes, & potes hoc modo: v. g. *Furatus ſum medium florenum, dubitans, an peccem mortaliter. Legi librum incaſtum, dubitans, ac timens, ne eum legendo graviter delinquerem.*

XV. Si autem dubitatio primùm orta eſt, opere jam commiſſo, tunc vel omitte factum confiteri, quia nullum peccatum eſt (ſaltem grave) & fortè tantùm ſcrupulus; vel, ſi velis illud confiteri, dic hoc modo: v. g. *Uno quadrante poſt Sacram Communionem exſpui in terram, & poſtea dubitare cœpi, an graviter deliquerim. Meum condiſci-*

diſcipulum, ſtultum appellavi, & poſtea mihi incidit, hoc eſſe peccatum mortale.

XVI. Si dubites, vel ſcias, aut probabiliter credas, te rem aliquam feciſſe, & aliunde ſatìs nôris, rem illam non eſſe grave peccatum, vel quia hoc legiſti in probato Auctore, vel quia id audiviſti à viro docto, vel aliam juſtam rationem habes, cur credas, non eſſe peccatum grave; tunc nullo modo teneris id confiteri, quantumvis animus tuus angatur ex timore, ne fortè peccâris mortaliter: ſcrupulus enim eſt, qui te affligit, ortus non ex rationabili judicio, ſed ex inani apprehenſione.

XVII. Si verò perplexus es, ut nequeas diſcernere, verúſne ſcrupulus ſit, quod te angit, an verò peccatum, pro majore quiete animi (niſi Confeſſarius contrarium ſuaſerit) poteris breviter ita confiteri. *Hoc vel illud feci, neſcio, an peccaverim graviter; ſi DEUM offendi, accuſo me, & doleo ex animo.*

§. II.

§. II.

De humilitate, & fortitudine pœnitentis.

I.

Altera bonæ confeſſionis conditio eſt, ut ea ſit humilis ac fortis. *Humilis* quidem, ut pœnitens peccata omni confuſione digna ſincerè dicat. *Fortis* verò, ut occurrentes difficultates cordatè vincat.

II. A *fortitudine* deficit, qui grave peccatum ex verecundia reticet. In *humilitatem* peccat, qui ſeipſum accuſando, excuſat. Sicut homo in peccata labitur ex vitio fragilitatis humanæ, ita reſurgere debet in brachio fortitudinis divinæ: & ſicut ſuperbia initium eſt omnis peccati, ita humilitas decus innovat animi contriti.

III. Confeſſarius triplex officium gerit, *Judicis*, *Patris*, & *Medici*. Illi ergo debetur honor, amor, & fiducia. Turpis, & monſtroſa res eſt, confeſſio peccatorum ſuperba; quid enim magìs abſonum eſſe poſſit, quàm ibi quærere laudem humanam, ubi propriam fateri oportet ignominiam? Qui confitetur, reus eſt, teſtis, & accuſator

ſui

ſui ipſius: ſi *Reus* eſt, quomodo ſuperbire poteſt? ſi *Teſtis* eſt, quomodo aliquid occultare audet? ſi *Accuſator* eſt, quomodo ſe excuſare præſumit?

IV. Confeſſio peccatorum ſincera amorem Confeſſarij tui erga te non minuit, ſed auget: tua te humilitas in corde ejus exaltat. Peccata tua ſuorum illum peccatorum admonent, quæ vel fecit, vel facere potuit, & adhuc faceret, niſi DEUS impediret. Tuam is odit iniquitatem, te verò ex corde diligit, ac tuæ condolet infirmitati.

V. Neſcio ſuperbiórne ſit, an imprudentior, qui peccata ſua, quibus ineſt turpitudo quædam, eáque lethalis, confitetur adeo obſcurè, ut neque ſpeciem exprimat, neque numerum adjungat. Sic enim Confeſſarium cogit, eadem interrogare, quæque non non ſatis explicata ſunt, eruere, ad quæ Pœnitens non ſine magna moleſtia tenetur reſpondere. Unde duplex illi pro una confuſione obtingit confuſio, digna profectò tali ſuperbia merces.

VI. Inſignis humilitatis actus eſt, ea peccata, quorum aliquem pudet, proferre clarè, ſincerè, ac fideliter, & quidem, ſi velit, ſtatim

tim ab initio confeſſionis, præſertim ſi peccata ſint caſtitati contraria.

VII. Ne tibi plus æquo credas, ſi forſan ea, quæ dixi, peccata videantur levia eſſe, aut etiam nulla: facillimè enim fieri poteſt in re tam lubrica & periculoſa, ut leve putetur delictum, aut nullum, quod à parte rei grave eſt, ac magnum; atque adeo ex nimis credula inſipientia, præpoſteráque verecundia tua, confeſſio fiat inutilis, & ſacrilega.

VIII. Non oportet ſcrupuloſum eſſe, ſed cautum: ſi habuiſti cogitationes impuras, & parùm fuiſti negligens in ijs rejiciendis, fateri hoc potes; peccâſti enim venialiter. Si inſuper moroſè delectatus es, vel ulteriùs progreſſus, fateri hoc debes, quia peccâſti mortaliter. Si verò nullum omninò peccatum, prudenter, ſincerè, & coram DEO agnoſcis, nihilominus tentationem indicare utile eſt; ſic humilitatis actum exerces, ſervandæ caſtimoniæ apprimè idoneum.

IX. Frequens confeſſionis cómes ſolet eſſe (præſertim apud adoleſcèntes) *verecundia*, ſeu timor aliquis amittendæ, vel minuendæ exiſtimationis ſuæ apud Confeſſarium. Pudor iſte continuè obverſatur illis,

lis, atque in aurem inſuſurrat: *quid tuus de te cogitabit, quid dicet Confeſſarius, ſi hoc vel illud reſciêrit, audiêrit? quàm longè alius nunc illi videberis, quàm antea viſus es!*

X. Si tale quid ſentis in te, ne tuæ te pudeat verecundiæ: oritur enim ex nobili, & ingenua indole, quæ, ſicuti à peccato nondum commiſſo multùm abſterret, ita ſceleris admiſſi dedecus vehementer abhorret. Dolendum potiùs eſſet, ſi nihil tale experireris in te: quem enim peccâſſe non pudet, quíque nullam ex peccato confuſionem timet, aut ſerviliter eſt natus, aut illiberaliter educatus, aut peſſimè moratus.

XI. Certè timor ille, vel pudor ex ſe nec malus eſt, nec bonus, ſed pro bono, malóve ejus uſu prodeſſe poteſt, aut nocere. Malis eſt cauſa ruinæ ſpiritualis per confeſſionem ſacrilegam: bonis verò eſt occaſio magni meriti per generoſam ſui victoriam: qui enim verecundiam hanc amore DEI ſuperat, in partem ſatisfactionis illi reputabitur, & quò major erit difficultas, & pugna, eò majorem reportabit fructum ex obtenta victoria.

XII.

XII. Si accidat, ut Confeſſario tuo quacunque cauſa impedito confiteri nequeas, libenter accede ad alium, eíque animosè omnia peccata, ſicut ordinario ſoles, expone, etiam ea, in quibus aperiendis majorem ſentis difficultatem: ita enim ſuperatur natura, vincitur ſuperbia, decipitur dœmon, virtus augetur.

XIII. Non licet, uni Confeſſario peccata primùm venialia confiteri, & alteri deinde mortalia. Licet autē, uni priùs confiteri mortalia, & alteri poſtea venialia. Sed uni eidémq; confiteri ſimul & venialia, & mortalia, abſolutè melius eſt, atque conſultum. Primum ſacrilegam malitiam continet: ſecundum ſuperbiam & hypocriſin redolet: tertium cordis contriti, & humiliati indicium eſt.

XIV. Præſtat, pluribus ac diverſis confiteri bene, atque integrè, quàm uni ſoli malè ac ſacrilegè: laudabilius tamen & fructuoſius eſt, unum eundémque ſtabilem habere Confeſſarium, cui ſemper bene, planéque confitearis peccata tua, quíque conſcientiæ tuæ perfectam notitiam habeat.

XV. Pœnitens vagus ſua quidem peccata exonerat, peccatorum tamen fibras, & radices

dices non evellit: ſeipſum enim juvare non valet, & ab alio juvari non vult. Æger, qui temerè medicos mutat, non tam ſanitatem videtur quærere, quàm cum morbo ludere ſuo.

XVI. Mirabilis ſuperbia eſt, unius ut effugias confuſionem, coram multis velle confundi. Tamdiu ſtabile probitatis tuæ teſtimonium habes apud alios, quamdiu ſtabilem habere te vident Confeſſarium. Si quando Confeſſarios variare incipis, & ipſi ſuum de te judicium variare præſumunt. Cave, ne tibi fiat injuria.

XVII. Sicut temerè vagari per confeſſionalia turpe eſt, ita vitio non caret, æquo pertinaciùs uni ſemper velle adhærere. Confeſſarium mutare ſubinde neceſſitas jubet, quandoque ratio ſuadet: utrique cordatus homo libenter ſe accommodat.

XVIII. Et verò id DEO, ipſique Confeſſario non diſplicet. DEUS enim pro gloria ſua, noſtráque utilitate omnia ordinat, & huic ejus ordinationi omnis Confeſſariorum voluntas atque opera deſervit.

XIX. Ex eo, quòd ſæpius huic vel illi confeſſus es, nullum cum eo pactum ini-

viſti, aut contractum. Liberè ad tuum acceſſiſti Confeſſarium, liberè potes ab eodem, ſi velis, recedere. Is venientem benignè recepit, diſcedentem pari benignitate dimittet. Suam Confeſſarij Pœnitentibus ita exhibent operam, ut hanc volentibus libenter impendant, nolentibus haudquaquam obtrudant.

XX. In Confeſſario fiducia habenda eſt, familiaritas cum illo non expedit. An & quando extra confeſſionem adeundus ſit, temetipſum interroga, quid pietas ſuadeat, quid exigat neceſſitas.

XXI. In rebus perplexis ac dubijs meliorem ducem, ac conſiliarium habere non potes, quàm eum, cui tuam credidiſti conſcientiam, quíque tui curam gerit, Deúmque quotidie pro te orat.

XXII. Sine præſcitu, & conſenſu Confeſſarij ſuadeo, ne facilè votum concipias, ſtatum mutes, aut extraordinariam corporis afflictionem aſſumas, præſertim ſi hæc diuturna futura ſint, aut perpetua. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis*, ait Eccleſiaſticus. (c)

§. III.

§. III.

De prudentia, & diſcretione Confitentis.

I.

COnfeſſio, ſeu potiùs is, qui confitetur, debet eſſe prudens, & diſcretus. *Prudens*, in rebus agendis, ut omnia ritè atque ordine fiant: *diſcretus* in rebus omittendis, ut nulli errores, nulla peccata interveniant.

II. In leges *prudentiæ* peccat, qui ſua peccata obiter tantùm cogitat, inſcitè narrat, temerè confundit, nugis miſcet, atque ineptijs. Virtute *diſcretionis* caret, qui ſua delicta ſic recenſet, ut proximo inferat injuriam, Confeſſario pariat moleſtiam, ſuámque ipſe lædat conſcientiam.

III. Conſentaneum eſt, ut Confeſſio fiat ſitu humili, hoc eſt, genibus flexis; niſi fortè pœnitens ſtaturâ parvus, aut corpore debilis ſit. Faciem non directè ad Confeſſarium, ſed parùm obliquè tenere oportet. Vox ita moderanda eſt, ne tam clara ſit, ut foris à circumſtantibus audiri poſſit; ne-

que ita ſubmiſſa, ut à Confeſſario percipi nequeat.

IV. Ne velis ægrè ferre, ſi Confeſſarius id, quod intelligere non potuit, te jubeat repetere. Hoc enim ad integritatem confeſſionis ſpectat, ut peccata non modò dicantur integrè, ſed etiam audiantur: debet enim Confeſſarius peccata tua dijudicare; & verò quomodo id fiet, ſi ea non intelligat?

V. In ipſo Confeſſionali Confeſſarium familiariùs ſalutare, eíque *bonum diem*, aut *felix novi anni auſpicium* apprecari, res non minùs abſona, & inurbana eſt, quàm ſi Reus aſtans tribunali, ſuo Judici propinaret hauſtum vini in ſanitatem ejus.

VI. Non eſt pulchrum, verbis nimis pulchris, & exquiſitis in confeſſione uti. Loquere hîc, ut alibi communiter ſoles, ita ut ſermonem neque eleves, neque deprimas. Si nequeas latinè, dic germanicè, aut alio idiomate, tibi, tuóque Confeſſario noto. Si neſcis, quæ dicenda ſunt, proferre emendatè, ſcito, ſolæciſmum, vel barbarismum in confeſſione facere, nec mortale, nec veniale peccatum eſſe.

VII. Ad prudentiam pœnitentis ſpectat, ſemper

ſemper afferre materiam idoneam pro Sacramentali abſolutione, hoc eſt, unum vel plura peccata, quæ ſint certa, atque indubitata, ſive ab ultima Confeſſione commiſſa ſint, ſive in alia jam dicta, & expiata.

VIII. Contra hoc agunt, *primò* illi, qui mera peccata dubia confitentur. *Secundò*, qui meros ſcrupulos proponunt. *Tertiò*, qui ſe tantùm de generalibus defectibus accuſant. *Quartò*, qui nihil aliud afferunt, quàm morales imperfectiones, quæ ſolùm conſilio, non præcepto repugnant. *Quintò*, qui de nullo peccato ſe accuſare volunt, ajúntque, nullius peccati ſeſibi conſcios eſſe.

IX. Valde decens eſt, ut, quantùm ſalvâ confeſſionis integritate fieri poteſt, res illæ, quæ turpitudinem continent, verbis honeſtioribus proferantur; uti ſunt peccata contra urbanitatem commiſſa, & agnomina multùm indecora. Si breviter dicas: *Inurbanus fui. Scurrile verbum dixi. Alteri dedi agnomina* &c. ſufficienter te explicas, neq; porrò opus eſt, ut addas, quomodo fueris inurbanus, ſcurrilis, quæ, & qualia agnomina dederis.

X. Peccata item caſtitati contraria, quantùm fieri poteſt, decenter, honeſtéque proferri debent, ita tamen, ut malitia peccati non tegatur. Tutius eſt (ſi aliter non poſſis) minùs curare decentiam verborum, quàm errare in plena, & debita narratione delictorum.

XI. Breviter, benéque confiteri virtus eſt; hanc qui habet, DEO gratias agat, qui non habet, videat, ut acquirat: ſuam paulatim confeſſionem ita diſcat attemperare, ut nec nimis longa ſit, nec nimis brevis: nam nimia prolixitas faſtidium habet; nimia brevitas, periculum. Sola ergo mediocritas laudem meretur, & curam poſtulat; hanc obtinebis, ſi ſtudueris ita reſecare ſuperflua, ut neceſſaria non omittas.

XII. Multa confeſſionem reddunt longiorem, non ſemper meliorem; magis enim ſubinde deſerviunt excuſationi ſui ipſius, quàm delictorum accuſationi. Veritas involucris verborum non gaudet, nec eget. Quod potes dicere verbis tribus, cur profeças triginta? Dic rem, uti eſt. Pauca verba ſufficiunt. Quid opus eſt, longas pertexere hiſtorias? impertinentes narrare circum-

Digitized by Google

cumſtantias? mille afferre ſcrupulos? déque omni humana imperfectione ſe prolixè, ad nauſeam uſque, accuſare?

XIII. Sed interim cavendum eſt, ne, dum quis timet committere imprudentiam, ſuam imprudenter lædat conſcientiam. Meliùs eſt, parùm agere contra decorum, quàm animum ſervare inquinatum, aut valde afflictum. Id age, quod coram DEO hîc & nunc agendum eſſe judicas. Si ex inſcitia, vel imprudentiâ contingat, te errare, ſcire debes, Confeſſario tuo non deeſſe patientiam, quâ id benignè ferat, neque ſcientiam, quâ id peritè corrigat.

XIV. Ne te offendat quorundam in confitendo mora longior, ſed cum patientia ſuſtine eam prolixæ exſpectationis moram, pro tuorum indulgentiâ delictorum. Conſcientiæ hominum valde inæquales ſunt, ac diverſæ: unde nec idem modus, nec idem tempus æqualiter cum omnibus ſervari poteſt.

XV. Inter cathedram & Confeſſionale non diſtinguunt, qui longas poſt confeſſionem exhortationes exſpectant. Imprudentiæ cujusdam, & ferè ſuperbiæ indicium

 eſt,

Digitized by Google

eſt, ſemper velle, ut Confeſſarius animum ſolatio ſpirituali demulceat.

XVI. Si te poſt enarrationem peccatorum Confeſſarius alloquatur, pium ſuggerens documentum, grato id animo accipe. Si verò id facere omittat, ne puta, id rectè non fieri. Si quid monendum, dicendúmque judicaret, utique non sileret. Contentus eſto Sacramentali abſolutione, & reconciliatione cum DEO.

CITATIONES.

(a) Joan. *2. 16.* (b) 1. Cor. *6. 15.* (c) Eccl. *31. 24.*

Caput Quartum.

De POENITENTIA ET SATISFACTIONE PRO PECCATIS.

§. I.

De pœnitentia, à Confeſſario iniuncta.

I.

Pœnitentia, juxta definitionem S. Thomæ, eſt *compenſatio DEO facta ad tollendam*

lendam pœnam temporalem, quam debet Pœnitens pro peccatis ſuis. (*a*) Pœnitentia hoc modo definita dividitur in Sacramentalem, & Non-Sacramentalem. *Illa* eſt, quam Sacerdos pœnitenti in confeſſione injungit: *iſta*, quam pœnitens ſibi ipſe ex ultronea electione aſſumit. Nos hîc relicta poſteriore, ſolummodo agemus de priore.

II. Pœnitentia à Confeſſario injuncta majoris meriti eſt, quàm aliud pium opus ex devotione, vel obligatione ſuſceptum. Hæc enim, cùm pars ſit Sacramenti, confert gratiam, & veniam meretur peccatorum, non tantùm ex *opere operantis* (uti loquuntur in ſcholis) ſed etiam ex *opere operato*. Unde aliqui, ſpiritualis lucri cupidiores, pro peccatis ſuis etiam parvis magnam ſibi à Confeſſario poſtulant injungi pœnitentiam.

III. Ut ſibi nimis miſericors, ita Confeſſario ſuo crudelis eſt, qui ſibi pro magnis peccatis parvam vult dari pœnitentiam. Talis enim cupit, ut Sacerdos parcendo homini offendat DEUM, ſibique noceat, dum ſuæ negligit ſatisfacere obligationi.

IV. Concilium Tridentinum hac de re ſic loquitur. *Debent Sacerdotes Domini, quantùm Spiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere, ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum peccatoribus agant, leviſſima quadam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* (*b*) Ex verbis adeo ponderoſis collige magnitudinem obligationis, quam in foro hujus judicij habent Confeſſarij.

V. Nulla regula ſine exceptione. Habent ſubinde Confeſſarij juſtas cauſas, cur clementiùs cum pœnitentibus procedant: id quod, ſi etiam tibi contingat, ne propterea minùs nocentem te putes, vel Confeſſarium tuum nimis clementem. Non enim fas eſt, ut Judex damnetur à Reo, & Confitens judicet Confeſſarium. Quid ſi onus, quod humeri tui ſuſtinere non valent, ſuis ipſe imponeret lacertis? tibi daret tria Pater, & Ave, & ſibi reſervaret tres diſciplinas? Cogita, id fieri, & nihil temerè judicabis de tuo Confeſſario.

VI.

VI. Non licet pœnitenti omnem omnino pœnitentiam recuſare, ſed tenetur aliquam (ſaltem levem) acceptare, præſertim, ſi medicinalis ſit. Turpe eſt, pœnitentiam peccatis congruam invitè, ac moroſè ſuſcipere; turpius, hanc faſtidioſè recuſare; turpiſſimum de hac inſuper apud alios invidioſè conqueri.

VII. Negandum tamen non eſt, licitum eſſe, pœnitentiam juſto graviorem, ac valde difficilem ſubmiſsè deprecari, & Confeſſarium de impedimentis (quæ fortè ignorat) admonere, eúmque rogare, ut, quam dedit, pœnitentiam in aliam commutare velit commodiorem: id quod haud dubiè ad tam humilem, & diſcretam petitionem libentiſſimè præſtabit.

VIII. Pœnitentiam datam ab uno Confeſſario poteſt alius Confeſſarius juſta de cauſa comutare in aliam, etiam non auditis peccatis, pro quibus ea pœnitentia injuncta fuit.

IX. Quivis tenetur implere pœnitentiam acceptatam ſecundùm ſubſtantiam, & quidem, ſi gravis eſt, ſub peccato mortali; ſi levis, ſub veniali tantùm, etiamſi impoſita fuerit pro peccatis mortalibus.

X. Pœ-

X. Pœnitentiam pro peccatis venialibus impoſitam non implere, peccatum eſt tantùm veniale, ſive ea gravis ſit, ſive levis. Quod idem dicendum eſt, de pœnitentia neglecta, quæ pro peccatis mortalibus in alia confeſſione jam deletis injuncta fuit.

XI. Pœnitentiam implens in peccato mortali, non peccat mortaliter, privatur tamen gratiâ, & merito ſatisfactionis, quamdiu in tali ſtatu perſeverat.

XII. Conſultum eſt, pœnitentiam primo, quo fieri poteſt, tempore implere, præſertim ſi parva ſit: non autem requiritur, ut id fiat ante Sacram Communionem.

XIII. Si Confeſſarius certum pœnitentiæ tempus præſcripſit, ſervari id debet: ſi verò diebus aliquot ex legitima cauſa illud prævenias, vel ſubſequaris, nullo modo peccas: at ſi ſine juſta cauſa id facias, peccatum veniale committis.

XIV. Si pœnitentia nulli certo tempori affixa eſt, citra peccatum mortale differri poteſt per aliquot menſes. Qui illam ſine cauſa nimis diu, non tamen ultra annum, differt, peccat tantùm venialiter.

XV.

XV. Quando Confeſſarius pœnitentiæ injungendæ oblitus eſt, mone illum, ſi hoc ipſum tibi in confeſſionali occurrat. Si verò à Confeſſionali ita diſceſſiſti, ut vel nulla tibi injuncta fuerit pœnitentia, vel injunctæ ampliùs non recorderis, poteris aut ſtatim redire ad Confeſſarium, ſi commodè fieri poſſit; vel id differre in proximam confeſſionem, eúmque defectum indicare: non autem tunc opus erit, peccata in priore dicta repetere.

XVI. Pia quorundam conſuetudo eſt, pœnitentiam injunctam ultronea devotione augere, duplicare &c. quam ſi placuerit imitari, rem facies DEO gratam, tibi proficuam, Sanctorúmque exemplo conformem.

§. II.

De Emendatione vitæ.

I.

SI hactenus vitâſti peccata mortalia, perge ita, & cave, ne unquam conſentias in malitiam gravem. Magnus ac præclarus confeſſionis fructus eſt, non fieri deteriorem,

riorem, neque labi in ea peccata; ad quæ fragilitas humana ſuomet pondere inclinat. Ut autem vivas ſecuriùs, tres Innocentiæ tuæ cuſtodes appone, *Humilitatem*, *Patientiam*, *Timorem DEI.*

II. Singulare DEI beneficium crede, ac fatere, quòd hactenus à gravioribus peccatis conſervatus es, ídque non tuæ, ſed uni DEI bonitati adſcribe, memor illius, quod D. Auguſtinus ait: Tua, ô Domine, gratia, & miſericordia prævenit me, liberans me ab omnibus malis, ſalvans à præteritis, ſuſcitans à præſentibus, & muniens à futuris; prævidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occaſiones, & cauſas: quia, niſi tu hoc feciſſes, ego omnia peccata mundi feciſſem; quoniam ſcio, Domine, quòd nullum peccatum eſt, quod unquam fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi Creator deſit, à quo factus eſt homo: ſed quòd non facerem, tu feciſti, quòd abſtinerem, tu juſſiſti. (*c*)

III. Habet amabilis Chriſti charitas in more poſitum, ut eos, quos præ alijs charos habet, quíque illi fideliùs ſerviunt, permittat quandoque ſalubriter affligi, vel rerum penu-

Digitized by Google

penuriâ, vel corporis invaletudine, vel hominum contemptu, vel animi deſolatione, vel ſcrupulis & perplexitate. Quare ſi tale quid experiaris, noli triſtari, noli terreri: nam *diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* (*d*)

IV. Summopere cave, ne propter mala, quæ pateris, declines à via virtutis, & quæras ſolatium in peccatis, miſerum ſanè ſolatium, atque omni calamitate nocentius. *Beatum* illum Chriſtus pronunciat, *qui non fuerit ſcandalizatus in illo.* (*e*)

V. Vehementer oro te, ne velis ex eorum eſſe numero, qui, cùm audiunt, vel legunt, hoc vel illud non eſſe peccatum mortale, ſed veniale ſolùm, confeſtim in id ſine ſcrupulo proruunt, quaſi res levis ſit momenti, venialem noxam committere.

VI. Qua in re haud dubiè graviſſimè decipiuntur, ſibique plurimùm nocent. Nam inter omnia mala, quæ dici, cogitaríve poſſunt, poſt peccatum mortale, nullum majus malum eſt peccato veniali, illo præſertim, quod ſcienter ac meditatò committitur.

VII. Damna peccatorum venialium in com-

compendio habe. Illa DEUM offendunt, Spiritum Sanctum, & Angelos contriſtant, dœmones exhilarant, proximum ſcandalizant, communitati obſunt, animam fœdant, conſcientiam cruciant, tentationes augent, vires animi enervant, gratiarum fontes obſtruunt, orationis vim retundunt, fervorem charitatis imminuunt, merita impediunt, pœnas hujus & alterius vitæ accumulant, gloriæ cæleſtis theſauros expilant, &, quod omnium deterrimum eſt, ad majora, & graviora, eáque lethalia peccata diſponunt.

VIII. Si lapſus es in graviora peccata, quæ per confeſſionem ritè peractam expiâſti, ſcire debes, confeſſione tolli quidem reatum culpæ, reliquias tamen illius penitus non auferri. Remanet enim inclinatio naturalis ad lapſum: Concupiſcentia ſeu fomes peccati non ſtatim extinguitur: Pravi habitus etiamnum vigent; neq; occaſiones extrinſecæ ceſſant, dæmō æquè ferox, imò ferocior, quàm antea. Et multum plerumque pœnæ temporalis reſtat, unde ſæpe propter præcedentem ingratitudinem auxilia DEI parciùs homini conceduntur.

IX.

IX. Si morbum depuliſti per humilem confeſſionem, ne pigeat, morbi relicta ſymptomata curare per ſeriam vitæ emendationem. Sed ne putes, hanc conſiſtere in eo, quòd nullam poſthac ſenſurus es tentationem. Grandis enim hæc eſt deceptio, adeo, ut is, qui nimiam ſibi pollicetur ſecuritatem à tentationibus, faciliimè relabatur in peccata, & proximus ſit ruinæ.

X. Diligenter *præpara animam tuam ad tentationem*, (*f*) ſine qua nemo vivit, nemo vincit, & nemo coronatur. Hoc unum veræ emendationis eſt argumentum, ſi cauſas peccandi ſtudiosè vites, tentationibus animosè reſiſtas, eáſque gloriosè ſupetes.

XI. Tentationes DEUS ita moderari ſolet, ut, ſicut Apoſtolus ait, *cum ijs faciat proventum, neque aliquem tentari permittat ultra id, quod poteſt.* (*g*) Tua tibi ſemper manet libertas; neque unquam tibi deeſt DEI bonitas, ex quo ſufficiens oritur poteſtas reſiſtendi cuivis tentationi, quantumvis diuturnæ, & gravi.

XII. Dœmon allicere poteſt, natura impellere, conſuetudo trahere, occaſio invi-

tare ; ſed, ſi tu ipſe nolis, nulla vis, aut poteſtas te invitum ac reluctantem cogere ad peccandum poteſt.

XIII. Audi verba melliflui Doctoris: In nobis eſt, ſi vinci nolumus, & nemo noſtrûm in hoc certamine deijcitur invitus. *Sub te, ô homo, appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* (*h*) Poteſt inimicus tuus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris, dare vel negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris inimicum tuum facere ſervum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi; vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu ſolummodo ne conſenſeris, & quoties reſtiteris, toties coronaberis. (*i*)

XIV. Si cadas, cedáſque hoſti tuo, ne alium, quàm temetipſum accuſa. Plus tua tibi nocet ignavia, quàm omnis dœmonum malitia: plùs obeſt tibi abjectio animi, & parva fiducia in DEUM, quàm omnis occaſionum illecebra, & vehementia tentationum. Tibi ergo, tuæque deſidiæ primùm bellum indicito, ſi victo-

victoriam de tuis hoſtibus reportare deſideras.

XV. Nunquam ſatìs firma, tutáque eſt animæ ſanitas, quam non munit, ac fulcit vitæ Sanctitas. Tamdiu vitijs ac peccatis eris obnoxius, quamdiu in virtutibus ac bonis operibus fueris negligens ac remiſſus. Aude aliquid dignum DEO, & *æmulare chariſmata meliora.* (*k*) Adhære DEO per amorem & fiduciam, & omnem inſidiantis hoſtis aſtutiam ſuperabis. *Apprehende ſcutum, & arma* (*l*) hoc eſt, ea adhibe media, quæ ſequenti numero annotata ſunt.

XVI. Aptiſſima contra quævis peccata remedia ſunt, *Primò* Oratio fervens & frequens ad DEUM, Beatam Virginem, & Sanctos. *Secundò.* Fuga occaſionum etiam remotarum peccandi. *Tertiò.* Honeſta, & utilis occupatio. *Quartò.* Cuſtodia ſenſuum, præcipuè oculorum, aurium, & linguæ. *Quintò.* Mortificatio interiorum affectuum, eorum maximè, qui te vehementiùs infeſtant. *Sextò.* Moderata corporis afflictatio. *Septimò.* Lectio librorum ſpiritualium, non tam ex curioſitate,

 quàm

quàm pietate ſuſcepta. *Octavò.* Quotidiana conſcientiæ examinatio, præſertim Examen, quod vocant, particulare. *Nonò.* Confeſſionis, & Sacræ Communionis frequentatio. *Decimò.* Filialis fiducia, & frequens recurſus ad Patrem ſpiritualem, ſeu Confeſſarium. Et hæc eſt fortis armatura, quâ ſine nemo unquam victor evaſit, & quacum nemo unquam victus eſt.

§. III.

De relapſu in peccata.

I.

SI relabaris in ordinarias tuas imperfectiones, & peccata venialia, etiam paulò graviora, dolere quidem ex animo potes, ſed nimiùm triſtari non convenit, ita ſcilicet, ut inquietus fias, & puſillanimis: hic enim animi plùs æquo dejecti mœror DEO non placet; eſt enim partus ſuperbiæ, & ſoboles amoris proprij, magíſque oritur ex timore pœnæ, quàm ex horrore culpæ.

II. Cogita, te hominem eſſe, vas fragile, & *teſtam de Samijs terræ* (*m*) novit

DEUS

DEUS figmentum ſuum, & licèt *videant oculi ejus imperfectum tuum*, te tamen *ſcriptum* habet, ſervátque in manibus ſuis, atque *in libro vitæ*, (*n*) cum alijs Sanctis, boníſque hominibus annotatum.

III. Vult DEUS, ut homines in hac vita ſemper ſpem inter ac metum verſentur, non nimiùm ſecuri, neque nimìs anxij. Nimia ſecuritas præſumptionis mater eſt, & nimia anxietas deſperationem parit. Magìs timenda eſt deſperatio, & minor fiducia in DEUM ex peccatis proveniens, quàm ipſa peccata, ex quibus illa diffidentia, & deſperatio oriri ſolet.

IV. Væ tibi, ſi talis es, qui ſæpiùs peccas mortaliter, & amorem peccandi nunquam ſeriò deponis: qui tuam diligis miſeriam, eámque pro felicitate habes, ac multùm times, ne cogaris eam amittere: ac proinde media reſpuis, medicos fugis, DEO reſiſtis, tibi indulges, pericula amas, occaſiones quæris, colludis cum dæmone, pactum inis cum inferno, & morte. Væ, inquam, væ tibi, ſi talis es: verè enim miſer es, ac miſerabilis, quia miſeriæ tuæ re-

Digitized by Google

medium non habes. DEUS te adjuvet; tecum ulteriùs non loquor.

V. Ad illos mihi ſermo eſt, qui peccant graviter, & peccata ſua fideliter confitentur; poſtea verò in eadem relabuntur, non quidem ſine malitia, (qua ſine nullum peccatum committi poteſt) ſed magnâ ſimul ex fragilitate, quam facit tentatio vehemens, naturalis proclivitas, conſuetudo inveterata. Tales, licèt ſuâ culpâ cadant, faciliùs tamen à culpa reſurgunt, & feliciùs à miſerabili morbo curantur.

VI. Principium ſanitatis eſt, ægritudinem nôſſe ſuam. Magnam ſpem ſuæ habet incolumitatis, qui ſuæ ſibi calamitatis eſt conſcius. Jam reſpirare incipit, qui ſuã ſperans emendationem peccatis ſuis ingemiſcit, quíque ſuam miſeriam deplorat, liberationem deſiderat, periculum timet, relapſum cavet, media quærit, medicos amat; qui per experientiam didicit, quàm acerbum, atque *amarum ſit, reliquiſſe Dominum DEUM ſuum*, (o) qui ſæpius ex corde intra ſemetipſum gemens dicit: *uſquequo, Domine, exaltabitur inimicus meus ſuper me! quamdiu ponam con-*

ſilia

ſilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? (p)

VII. Si (quod DEUS avertat) contingat, te iterum in peccatum mortale labi, citò reſurge: cave, ne Sol occidat ſuper malitiam tuam. Ne des ſomnum oculis tuis, donec per contritionem, & confeſſionem reconcilieris iterum DEO. Ne menſem exſpecta, imò nec hebdomadem: magnum enim periculum huic ineſt moræ. Quid ſi hâc ſtatim horâ, aut hoc ſaltem die adhuc confitereris? Certè in perniciem ſuam audax eſt, qui cum peccato mortali, Deóque ſibi irato, dormire poteſt, accubans ad puteum interitûs, & quidem æterni.

VIII. Neſcio, an ſola contritio ſine confeſſione ſecurum te facere poſſit. Quid ſi dolor, quem habes, dolor eſſet imperfectus, non niſi ex metu gehennæ prognatus? Vera contritio non niſi ex puro DEI amore profluere debet: interroga cor tuum, an talem in te habeas. Crede mihi, Confeſſio ſecurior eſt. Sine hac manebis triſtis, & inquietus; & quod miſerrimum eſt, valde proclivis ad plura, & majora peccata.

IX. Si decies, ſi centies, ſi millies relabaris, fac decies, centies, & millies reſurgas. Iterum iterúmque confitere; & quidem non diverſis, ſed uni ac ſtabili Confeſſario tuo. In eundem relapſus es morbum; ad quem ibis confidentiùs, quàm ad eum, qui te ſanavit jam ſæpiùs, agnoſcit meliùs, faciliúsque curabit? Patientia Confeſſarij tui nondum exhauſta eſt: quia neque DEI miſericordia finem habet. Si DEUS, cui ſoli peccâſti, tibi paratus eſt dare veniam, cur Confeſſarius tuus, qui & ipſe peccator eſt, dare nolit abſolutionem?

X. Refugit mens tua toties ad eundem cum ijsdem redire peccatis? Ita ſanè, ſi mente non cares, ſentire debes. Sed vincat horrorem exiguæ confuſionis, timor æternæ damnationis, & amor ſalutis tuæ. Ægritudo multùm periculoſa non niſi difficili, & amara potione curari poteſt.

XI. Fatere delictum cum dolore, & cum humilitate exſpecta Judicis tui ſententiam. Si taceat Confeſſarius, téque abſolvat, cogita eum tuæ condeſcendere infirmitati. Si leniùs te corripiat, moneátque,

átque, libenter auſculta, quia paternus amor, & commiſeratio hoc facit. Si aſperiùs te objurget, ſi terreat minis, patientiam habe. *Triſtitia*, quam inde percipis, *ex DEO eſt, & ſalutem operatur.* (*q*) Peritus medicus vino mederi debet, & oleo, hoc eſt, lenire, & ſævire, prout ægroti conditio id exigit, & ſpes ſanitatis affulget.

XII. Si Confeſſarius, propter nimis frequentem relapſum, dubitans de ſufficiente propoſito emendationis, te nolit abſolvere, dolorem oſtende, emendationem promitte, fortaſſis exaudiet te. Si nihilominus patiaris repulſam, accipe medelam: proderit hæc tibi, ſi feriò ſanari exoptas. Suſtine pauliſper dilationem: interea contine te; redi iterum, & accipe abſolutionem.

CITATIONES.

(a) S. Thom. *in addit. q. 12. a 3.* (b) Trident. *ſeſſ. 14. cap. 5.* (c) S. Auguſt. *in ſoliloq. cap. 16.* (d) *1.* Cor. 16. 16. (e) Luc. *7. 23.* (f) Eccl. 2. *1.* (g) *1.* Cor. 10. *13.* (h) Gen. *4.* 7. (i) S. Bern. *ſerm. 5. de quadrag.* (k) *1.* Cor. 12. *31.* (l) Pſalm. *34. 2.* (m) Iſai. *45. 9.* (n) Pſal. 138. *16.* (o) Ierem. *2. 9.* (p) Pſalm. 12. *3.* (q) 2. Cor. 7. 10.

Digitized by Google

Caput Quintum.
De
ALIIS REBUS AD SARCAMENTUM POENITENTIÆ SPECTANTIBUS.

§. I.
De Sigillo confeſſionis.

I.

INtereſt pœnitentis, ſcire aliquid de Sigillo confeſſionis, cùm id potiſſimùm in ejus favorem ſancitum ſit. Eſt autem hoc Sigillum *Obligatio quædam Confeſſario impoſita, occultandi omnia ea, quæ illi per confeſſionem innotuerunt.* Uti ſunt peccata mortalia, & venialia, circumſtantiæ item peccatorum, & quidquid pœnitens ad ſuorum declarationem peccatorum dixit, ſive id neceſſarium fuerit, & utile, ſive non.

II. Obligatio hæc adeo magna eſt, ut nulla alia poſſit eſſe major, vel in Eccleſia Chriſti, vel in mundo hoc univerſo: quippe cùm Confeſſario nec propriæ vitæ, nec regni alicu-

alicujus integri conſervandi gratiâ revelare liceat aliquod peccatum, à pœnitente in confeſſione auditum.

III. Quin imò ſi Confeſſarius aliquis, rumpendo Sigillum confeſſionis, unius tantùm levis peccati revelatione, ſalvare ac redimere poſſet omnes, quotquot ſunt in inferno condemnati, non tamen illi permitteretur. Præterea nulla eſt poteſtas in mundo, ſive ſæcularis, ſive Eccleſiaſtica, quâ cogi poſſit Confeſſarius ad manifeſtandam alicujus confeſſionem, & ſacrum illud ſigillum violandum.

IV. Confeſſarius frangens ſigillum confeſſionis, duo graviſſima peccata mortalia committit. Unum ſacrilegij, contra virtutem Religionis, & reverentiam Sacramento debitam: alterum injuſtitiæ, contra virtutem infuſam Juſtitiæ, non ſervando pactum virtuale, quod inter ipſum, & pœnitentem intercedit, de ſervando ſecreto in omni caſu abſque ulla exceptione. Et inſuper violator Sigilli confeſſionis graviſſimis pœnis fori externi ſubjacet.

V. Præter Confeſſarium (ad quem Sigillum confeſſionis principaliter ſpectat) etiam aliæ

aliæ perſonæ obligantur: non quidem ſub ſigillo confeſſionis, uti ſacerdos, ſed ex fidelitate, & ſecreto naturali, ídque ſub peccato mortali. Tales ſunt *primò* is, cui aliquid ex confeſſione ſacrilegè revelatum eſt. *Secundò*, qui, dum alius confiteretur, aliquid ex ejus confeſſione vel caſu, vel curioſitate intellexit. *Tertiò*, qui ſcriptam confeſſionem reperit, eámque legit. Si tamen in hac peccata ſint levia tantùm, nec infamantia, non videtur peccare mortaliter, ſi lecta evulget.

VI. Confeſſarius extra confeſſionem nihil agere poteſt, aut debet, ex notitia rerum illarum, quas in confeſſione percepit. Et hæc cauſa eſt, cur Confeſſarij ſollicitè cavere debeant, ne propter peccata in confeſſione audita omittant v. g. conſueta benevolentiæ ſigna erga pœnitentem, ne de illo minùs honorificè loquantur apud alios, frigidiùs eum laudent, poſtponántque alijs &c. Certè gravis error foret, ſi Confeſſarius aliquem propter audita in confeſſione delicta impediret à conſecutione beneficij, aut favoris alicujus, à promotione ad officium, dignitatem, conditionem, ſtatum &c.

VII.

VII. Sciendum tamen eſt, notitiam confeſſionis non impedire Confeſſarium, quò minùs uti poſſit notitiâ aliunde hauſtâ, modò illa hanc non adjuvet. Unde Præfectus gymnaſij non ageret contra ſigillum confeſſionis, ſi puniret diſcipulum propter delictum, quod quidem ei ille ipſe diſcipulus confeſſus fuit, id tamen ipſe Præfectus aliunde v. g. ex relatione condiſcipuli extra confeſſionem intellexit.

VIII. Similiter Concionator licitè reprehendit peccata publicè ex ſuggeſtu, quæ ſæpiùs quidem audivit in confeſſione, ſed independenter ab hac, ea ipſa peccata æquè vel magìs habet cognita, v. g. ex narratione aliorum, lectione librorum &c. modò caveat, ne quâdem inſolitâ exaggeratione peccati certi, vel incautâ circumſtantiarum enarratione, juſtam Auditoribus cauſam præbeat, ſuſpicandi, eum loqui ex ſcientia confeſſionis, hanc vel illam perſonam ſuggillare. &c.

IX. Conſultum eſt, ut, ſi extra confeſſionem cum Confeſſario tuo de rebus à confeſſione alienis loqui velis, aut debeas, ita te cum illo geras, ac ſi nunquam illi eſſes confeſſus.

X. Cer-

X. Certè DEI voluntas eſt, & Eccleſiæ ordinatio, ut confeſſio peccatorum remiſſioni deſerviat, non hominum converſationi, vel adminiſtrationi negotiorum, aut gubernationi externæ.

XI. Si tibi forſan incidat, hoc vel illud fieri, dicíque à Confeſſario tuo ex notitia confeſſionis tuæ, eam cogitationem, ceu temerariam, & periculoſam, expelle. Cùm enim obligatio ſigilli res tam magna ſit, & ejus violatio ſcelus adeo grande (ſine graviſſima causa, & morali quaſi certitudine) nemo præſumere debet, Confeſſarium adeo rudem eſſe, atque indoctum, ut ſuam neſciat obligationem; vel adeo malum, atque impium, ut contra eam cum ſacrilegio velit agere.

XII. In uno tantùm caſu licitum eſt Confeſſario, revelare aliquid ex confeſſione: quando nimirum ipſe pœnitens dat licentiam, & quidem formalem atque expreſſam: tacita enim vel interpretativa licentia non ſufficit.

XIII. Sine tali licentia Confeſſarius, ut dictum, extra confeſſionem, nec cum pœnitente, nec cum alio quidquam loqui poteſt

teſt concernens peccata, vel alia ab illo in confeſſione audita, etiamſi hoc vergat in bonum ipſius pœnitentis.

XIV. Quare, ſi quis extra confeſſionem de rebus ejusmodi cum Confeſſario ſuo loqui, vel agere velit, debet illi vel tunc, vel in prævia aliqua confeſſione dare facultatem, ídque verbis claris, atque expreſſis, dicendo v.g. *Mihi gratum erit, ſi Rev. Veſtra nunc, vel ſi proximè ad eam venero, uti velit notitiâ peccatorum meorum, aliarúmque rerum, quas à me in confeſſione audivit.*

XV. Quid ſi pro majore ſecuritate hanc ei facultatem in annua generali confeſſione pro toto anno concederes? At ſcire debes, eum hâc licentiâ non facilè uſurum, niſi cùm denuo illam expreſſè dederis, aut tu ipſe ultro inceperis de rebus ejuſmodi loqui.

§. II.

De conſcientiâ, & regulis conſcientiæ.

I.

Conſcientia, (prout hîc accipitur) eſt *dictamen rationis, ſeu actus intelle-*

ctûs,

ctûs, quo judicamus, aliquid hîc, & nunc agendum vel omittendum eſſe, tanquam bonum, vel malum. Ex qua definitione apparet, Conſcientiam aliquo modo eſſe duplicem. *Aliam*, quæ verſatur circa res bonas, ut proſequendas, & *Aliam*, quæ verſatur circa res malas, ut fugiendas. Et verò hæc ultima hujus propriè eſt loci, de qua proinde, relicta priore, potiſſimùm in hoc, & ſequente paragrapho agetur.

II. Conſcientia denuo quadrifariam dividi ſolet: in Veram, Dubiam, Erroneam, & Perplexam. Conſcientia *vera* eſt, quâ quis illud pro peccato habet, aut non habet, quod à parte rei peccatum eſt, aut non eſt, mortale pro mortali, veniale pro veniali. Conſcientia *dubia* eſt, quâ quis dubitat, an hoc vel illud peccatum ſit, aut non ſit; mortale, an veniale. Conſcientia *erronea* eſt, quâ quis illud pro peccato habet, quod peccatum non eſt: aut pro peccato non habet, quod peccatum eſt: mortale item pro veniali; veniale, pro mortali. Conſcientia *perplexa* eſt, quâ quis id, quod neceſſariò facere, vel omittere debet, pro peccato ſeu mortali, ſeu veniali habet, ſive id faciat, ſive omittat.

III.

Digitized by Google

III. Conſcientia duplici modo poteſt eſſe dubia, erronea, perplexa. *Primò*, cum culpa. *Secundò*, ſine culpa. Conſcientia *culpabiliter* dubia, erronea, & perplexa eſt, quando dubium, error, aut perplexitas ob hominis incuriam non amovetur, cùm amoveri facilè poſſet. Conſcientia *inculpabiliter* dubia, erronea, & perplexa eſt, quando dubium, error, aut perplexitas amoveri nequit, tametſi homo id facere velit: quo caſu conſcientia vocatur *invincibiliter* dubia, erronea, perplexa.

IV. Sicut *teſtimonium conſcientiæ noſtræ* (teſte S. Paulo) *eſt gloria noſtra*, (a) ſi nimirum juxta illam operemur bene: ſic etiam teſtimonium conſcientiæ noſtræ eſt ignominia noſtra, ſi contra illam operemur malè: nam omnis operum noſtrorum ſive pulchritudo, ſive indecentia provenit ex bona vel mala conſcientia, ſeu potiùs ex conformitate, ſeu difformitate cùm ea.

V. Hoc uſque adeo verum eſt, ut etiam opera mala fiant bona, & bona fiant mala, ſi quis ob conſcientiam invincibiliter erroneam mala habeat pro bonis, aut bona pro malis. Et hoc eſt, quod S. Paulus ait:

Digitized by Google

Quod non eſt ex fide, peccatum eſt.(b) Per *fidem* enim intelligit judicium conſcientiæ, quo creditur, aliquid bonum eſſe, vel malum.

VI. Conſcientia lux eſt, & lex interna, proveniens à luce, & lege æterna. Hæc radius quidam eſt divinitatis, & omnis honeſtatis imago. Hæc regula eſt vitæ; hæc norma diſciplinæ, magiſtra virtutum, vitiorum inimica. Hanc quisquis ſequitur, per regiam ambulat viam, & ſuo ſemper magìs appropinquat Creatori. Hanc quisquis deſerit, in avia pergit, & toto denique aberrat cœlo. Ex hac generali doctrina, ſpecialia eruuntur documenta, ſequentibus numeris annotata.

VII. Qui invincibiliter ignorat, rem aliquam eſſe illicitam, graviter prohibitam, & mortaliter peccaminoſam, non peccat mortaliter rem illam cum tali ignorantia faciendo. Unde, ſi poſtea primùm intelligat, rem illã eſſe peccatum mortale, non tenetur factum ſuum confiteri, quia non peccavit niſi materialiter. Similiter ille, qui novit quidem, rem aliquam peccatum eſſe, ſed dum illam facit, ei ſine ſua culpa non occurrit, peccatum eſſe, nõ peccat, nec factum ſuum confiteri tenetur.

VIII.

VIII. Qui ex errore vincibili, vel invincibili putat, rem aliquam peccatum mortale eſſe, quæ tamen à parte rei tale peccatum non eſt, peccat mortaliter, ſi cum tali errore rem illam faciat. Et, licèt poſtea intelligat, rem illam à parte rei, vel nullum omnino peccatum ſſe, vel certè non mortale, nihilominus tenetur, factum ſuum confiteri, dicendo, *ſe, quando id commiſit, putâſſe, eſſe peccatum mortale.*

IX. Qui dubitat, an res aliqua ſit peccatum mortale, & cum tali dubio operatur, peccat mortaliter, ſive res illa à parte rei peccatum ſit, ſive non, tenetúrque confiteri illud, tametſi poſtea intelligat, vel nullum, vel tantùm veniale peccatum eſſe, dicendo, *ſe tunc, quando illud fecit, dubitáſſe, an eſſet peccatum mortale.*

X. Qui circa gravitatem, vel levitatem peccati errorem, vel ignorantiam vincibilem habet, tenetur hunc errorem, & hanc ignorantiam deponere: alioquin ſic operando, non excuſabitur à peccato

XI. Si quis eò perplexitatis deveniat in re aliqua, ut eam ſive faciendo, ſive omittendo putet, ſe peccare mortaliter, eóque errore

Digitized by Google

nec per ſe, nec per alium liberare ſe poſſit, eligere debet id, quod minùs malum ei videtur: quòd ſi neque hoc poſſit diſcernere, non peccabit, quidquid egerit: *nemo enim neceſſitate peccat*. Sed caſus iſte rarus eſt.

XII. Si tibi Confeſſarius tuus, vel alius vir doctus, ac probus dicat, hoc vel illud in his vel illis circumſtantijs non eſſe peccatum mortale, tutò ei potes credere. Et ſi ex tali fide, ac opinione operaris, non peccas mortaliter; nec teneris factum tuum confiteri. Idem puta, ſi hoc legas in probato aliquo Auctore.

XIII. Si à duobus viris doctis, probis, ac prudentibus duas contrarias ſententias audias, quarum una affirmat, hoc vel illud eſſe peccatum mortale; altera negat, eſſe tale peccatum; potes huic vel illi tutò credere, téque alterutri ſententiæ accommodare. Si velis credere, non eſſe peccatum mortale, faciendo id, non peccabis mortaliter, etiamſi ſententia dicens, eſſe peccatum mortale, videatur tibi melior eſſe, & verior, atque etiam à viro doctiore, prudentioréque prolata. Idem puta, ſi tale quid legas in duobus Auctoribus approbatis.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De Scrupulis, ſeu ſcrupuloſa anxietate.

I.

SCrupuloſi in triplici ferè ordine ſunt. *Aliqui* enim bonos ſcrupulos habent, dum Deum offendere valde timent & offendiſſe, multùm dolent: ac proinde peccata ſollicitè cavent, ídque ſine mentis anxietate, & cordis inquietudine. Tales laudem merenur, & aliâ curâ non indigent, quàm ut piam hanc ſollicitudinem per omnem vitam conſervent, & ſcrupulos tam ſanctos nullo unquam tempore deponant,

II. *Alij* ſcrupulis aguntur malis & vitioſis; dum ſine cauſa, & ſine modo ubique peccatum timent, etiam ubi nullum eſt: ídque magnâ cum animi perplexitate, ac moleſtiâ. Tales, ſi bona voluntate ſint præditi, neque ægrè ſe regi ſinant, commiſerationem merentur, & facili curantur negotio. Si autem ſcrupulis accedat judicium obſtinatum, pertinax incredulitas, & arrogans inobedientia, ſanari difficulter queunt, & in

magno ſalutis ſuæ verſantur diſcrimine.

III. Sunt etiam, *qui* in unâ, alterâve re ſunt valde ſcrupuloſi; in alijs verò rebus admodum liberi, & laxi *excolantes culicem, camelum* autem *glutientes*, (c) dum ſæpe res parvas, nullius ferè malitiæ, pro magnis peccatis habent, eáſque ſcrupuloſè devitant: alia verò manifeſtè mala parùm curant, liberriméque ſine ſcrupulo committunt. Qui talis eſt, ea, quæ porrò de ſcrupulis dicentur, quæſo, ne legat, ſed omnibus modis curet, ut animi ſui laxitatem conſtringat potiùs, quàm ut ejus anguſtias laxet.

IV. Scrupulos magnam partem curaveris, ſi eorum indolem, ac naturam probè nôris. *Scrupulus malus ac vitioſus eſt apprehenſio, inani ratione nixa, & hinc ortus timor, peccatum alicubi eſſe, ubi non eſt.*

V. Differt ſcrupulus à *Judicio* certo, vel probabili; quia ſcrupuloſus non judicat, neque putat, ſe hîc & nunc peccare, ſed tantùm apprehendit, ac timet peccatum. Ad eum ferè modum, quo aliquis in loco ſolitario & tenebroſo ſpectra ac lemures formidat, non quòd tales adeſſe judicet, ſed quia hi phan-

phantaſiæ quaſi præſentes occurrunt, quam corrigere homini, ſubinde etiam cordato, difficile eſt.

VI. Certè experientia conſtat, viros ſæpe doctos, perſpicaci ingenio, limatóque judicio præditos, ſcrupulorum moleſtiam pati: non quia circa peccati notitiam errant, ſed quia phantaſiam peccati timore occupatam emendare non valent.

VII. Differt item Scrupulus à *Dubio*; quia ſcrupuloſus, licet ex una parte hæreat, ac timeat, ne fortè peccet, atque adeo non omni careat dubitatione: ex altera tamen parte abſolutè judicat, ſe non peccare, ídque vel ex certa ratione, vel ex probabili diſcurſu; id quod illi, qui verè dubius eſt, non accidit. Talis enim neutri parti aſſenſum præbet, ſed quaſi hæret in ſuſpenſo, pro neutra parte rationes probabiles, vel pro utraque æquè probabiles habet.

VIII. Scrupuloſus, ſi à moleſtia ſua liberari velit, audacter contra vanas apprehenſiones, ac timores peccati operari debet; ex certa ſcientia, licitum eſſe, atque conſultum, imò quandoque etiam neceſſarium, *contra ſcrupulos operari.*

IX. Nunquam judicet, eſſe peccatum, niſi id certò deprehendat, & juramento quaſi confirmare audeat. Ea ſolùm confiteatur, quæ manifeſtò peccata eſſe cognoverit; non item dubia, & ſcrupulos.

X. Confeſſarium non de quibusvis dubijs conſulat, ſed ſæpe proprijs rationibus, à Confeſſario præſcriptis utatur, ad depellendos ſcrupulos. Quàm primùm animo ſcrupulus exoritur, prudente ratione aliquâ rejiciat, nec cogitatione foveat.

XI. Confeſſiones non repetat, ſed poſtquam ſemel Confeſſarij judicio, aut ſuo ſaltem probabili, integrè confeſſus fuiſſe viſus eſt, acquieſcat. Perſuadeat ſibi, quòd unusquisque judicio, vel conſilio Confeſſarij, alteriúsve viri docti ac probi tutò acquieſcere poſſit, & verò ſcrupuloſus debeat, ob damna, quæ ſcrupuloſo impendent, ſi remedia, & conſilia reſpuat.

XII. Quod videt alios bonos, ac timoratos homines agere ſine peccati formidine, cogitet, id etiam ſibi licere. Nôrit item leges, & præcepta (præſertim, ſi ſint affirmativa, & poſitiva) ſæpe non ſecundùm rigorem verborum, ſed cum benignâ interpretatione, juxta epicheiam, intelligenda eſſe. XIII.

XIII. *Sentiat de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis ſui,* (*d*) neque exiſtimet, Legislatorem tam rigidum, & durum eſſe; ut bonæ voluntatis hominibus peccata adſcribat, pœnámque determinet: neque DEUM, aut Eccleſiam ſuis præceptis efficere velle, ut homo in mentis intemperiem incidat, quod ſcrupuloſo, niſi caveat, accidere poteſt, & ſolet.

XIV. Utile conſilium eſt P. Pauli de Barry, (*e*) ut, qui ſcrupulis affliguntur, ſingulari quadam religione ferantur in cultum S. Joſephi, & S. Ignatij; eorum opem quotidie implorent, pro liberatione à ſcrupulis: id quod etiam poſtulare poterunt, quoties in Miſſa Sanctiſſima Hoſtia elevatur, & populo monſtratur.

XV. Nulla res ſcrupuloſum æquè juvat, atque ingens in DEUM fiducia, longanimis patientia, & omnimoda reſignatio in voluntatem DEI. Si omnia adhibuiſti media, ſi multas ad DEUM preces fudiſti, & nondum à malo tuo liberatus es: noli ideo contriſtari, vel indignari contra DEUM.

XVI. Novit DEUS conatum tuum, afflictionem, & patientiam tuam. Crede

mihi: erit tempus, & fortè brevì, cùm inquieto dicetur mari: *Uſque huc venies, & non procedes ampliùs: & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* (*f*)

XVII. Nunc multi ſunt in cœlo, & quiete fruuntur pacatiſſimâ, qui turbulentiſſimis olim, dum viverent, ſcrupulorum agitati ſunt procellis. *Abſterſit DEUS omnem lachrimam ab oculis eorum*, & tranſtulit eos in portum ſecuræ felicitatis, ubi nullus amplius eſt luctus, nullus dolor, & nulla anxietas.

XVIII. Modò coronantur, & accipiunt palmam, ſeu præmium longæ, quam habuerunt, patientiæ. Nunc lætis vocibus exultant, atque illud cum gaudio ingeminant: *Defecit in dolore vita noſtra, & anni noſtri in gemitibus. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliâſti: annis, quibus vidimus mala.* (*g*)

CITATIONES.

(a) *2. Cor.* 1. 12. (b) Rom. 14. 23. (c) Matth. 13. 24. (d) Sap. 2. 1. (e) Barry, *in ſolit. hag. die 3. diſſert. matut.* §. *10.* (f) Job. 38. 11. (g) Pſalm. 30. 11. & *89. 13.*

CAPUT

Caput Sextum.

De PECCATIS IN GENERE, ET SPECIE.

§. I.

De peccatis in genere.

I.

PEccatum *mortale* eſt prævaricatio legis DEI graviter obligantis. Peccatum *veniale* eſt transgreſſio legis DEI leviter obligantis. Quænam autem lex gravem, quæque levem obligationem habeat, atque adeò quænam res legi repugnans, ſit peccatum mortale, aut veniale, haud ita facilè eſt, definire.

II. Quorundam gravitas peccatorum ita manifeſta eſt, ut ea cuivis etiam rudi atque indocto appareat. Aliorum autem ita obſcura, ut etiam perſpicaces, doctique viri de ea dubitent, aliter atque aliter ſentiant, ac loquantur.

III. Multùm ad peccatorum cognitionem

nem facit ſtudium Theologiæ moralis, lectio librorum hac de re ſcriptorum, collatio cum viris doctis; ſed omnium maximè fervens oratio, & frequens petitio luminis divini, juxta exemplum Job, DEUM ita precantis: *Quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi.* (*a*)

IV. Ad omne peccatum tria requiruntur, quorum ſi vel unum deficiat, peccatum erit nullum, aut non grave. *Primò*, debet fieri voluntariè. *Secundò*, ſcienter. *Tertiò*, deliberatè.

V. Ex defectu *voluntarij*, non peccant illi, qui contra ſuam voluntatem illicitas cogitationes patiuntur in animo, vel turpes commotiones in corpore, & in appetitu ſenſitivo.

VI. Ex defectu *ſcientiæ*, ſæpe excuſantur pueri, & homines valde rudes, qui rem aliquam lethaliter malam faciunt, neſciunt tamen, vel non cogitant eſſe talem.

VII. Ex defectu *deliberationis*, peccare neſciunt amentes, dormientes, ebrij, & ratione penitus ſunt deſtituti. Item ſemi-fatui, ſemi-ſopiti, ac ſemi-ebrij ſæpe propter

propter imperfectam deliberationem excuſantur à peccato mortali, quod alioqui tale foret, ſi cum plena deliberatione fieret.

VIII. Tribus modis, ait S. Gregorius, impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. *Suggeſtio* fit per diabolum; *Delectatio*, per carnem; *Conſenſus*, per ſpiritum. Et neceſſaria magna diſcretio eſt, ut inter ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum judex ſui animus præſideat. (*b*)

IX. Cùm enim (pergit S. Doctor) malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omni modo perpetratum non eſt: cùm verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit naſci; ſi autem etiam ad conſenſionem ex deliberatione deſcendit, tunc peccatum cognoſcitur perfici.

X. In *ſuggeſtione* igitur (ait idem) peccati ſemen eſt: in *delectatione*, fit nutrimentum: in *conſenſu*, perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc, quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi conſentiat, & cùm caro ſine

anima

magno ſalutis ſuæ verſantur diſcrimine.

III. Sunt etiam, *qui* in unâ, alterâve re ſunt valde ſcrupuloſi; in alijs verò rebus admodum liberi, & laxi *excolantes culicem, camelum* autem *glutientes*, (c) dum ſæpe res parvas, nullius ferè malitiæ, pro magnis peccatis habent, eásque ſcrupulosè devitant: alia verò manifeſtè mala parùm curant, liberriméque ſine ſcrupulo committunt. Qui talis eſt, ea, quæ porrò de ſcrupulis dicentur, quæſo, ne legat, ſed omnibus modis curet, ut animi ſui laxitatem conſtringat potiùs, quàm ut ejus anguſtias laxet.

IV. Scrupulos magnam partem curaveris, ſi eorum indolem, ac naturam probè nôris. *Scrupulus malus ac vitioſus eſt apprehenſio, inani ratione nixa, & hinc ortus timor, peccatum alicubi eſſe, ubi non eſt.*

V. Differt ſcrupulus à *Judicio* certo, vel probabili; quia ſcrupuloſus non judicat, neque putat, ſe hîc & nunc peccare, ſed tantùm apprehendit, ac timet peccatum. Ad eum ferè modum, quo aliquis in loco ſolitario & tenebroſo ſpectra ac lemures formidat, non quòd tales adeſſe judicet, ſed quia hi phan-

Digitized by Google

phantaſiæ quaſi præſentes occurrunt, quam corrigere homini, ſubinde etiam cordato, difficile eſt.

VI. Certè experientia conſtat, viros ſæpe doctos, perſpicaci ingenio, limatóque judicio præditos, ſcrupulorum moleſtiam pati: non quia circa peccati notitiam errant, ſed quia phantaſiam peccati timore occupatam emendare non valent.

VII. Differt item Scrupulus à *Dubio*; quia ſcrupuloſus, licet ex una parte hæreat, ac timeat, ne fortè peccet, atque adeo non omni careat dubitatione: ex altera tamen parte abſolutè judicat, ſe non peccare, ídque vel ex certa ratione, vel ex probabili diſcurſu; id quod illi, qui verè dubius eſt, non accidit. Talis enim neutri parti aſſenſum præbet, ſed quaſi hæret in ſuſpenſo, pro neutra parte rationes probabiles, vel pro utraque æquè probabiles habet.

VIII. Scrupuloſus, ſi à moleſtia ſua liberari velit, audacter contra vanas apprehenſiones, ac timores peccati operari debet; ex certa ſcientia, licitum eſſe, atque conſultum, imò quandoque etiam neceſſarium, *contra ſcrupulos operari.*

IX. Nunquam judicet, eſſe peccatum, niſi id certò deprehendat, & juramento quaſi confirmare audeat. Ea ſolùm confiteatur, quæ manifeſtò peccata eſſe cognoverit; non item dubia, & ſcrupulos.

X. Confeſſarium non de quibusvis dubijs conſulat, ſed ſæpe proprijs rationibus, à Confeſſario præſcriptis utatur, ad depellendos ſcrupulos. Quàm primùm animo ſcrupulus exoritur, prudente ratione aliquâ rejiciat, nec cogitatione foveat.

XI. Confeſſiones non repetat, ſed poſtquam ſemel Confeſſarij judicio, aut ſuo ſaltem probabili, integrè confeſſus fuiſſe viſus eſt, acquieſcat. Perſuadeat ſibi, quòd unusquisque judicio, vel conſilio Confeſſarij, alteriúsve viri docti ac probi tutò acquieſcere poſſit, & verò ſcrupuloſus debeat, ob damna, quæ ſcrupuloſo impendent, ſi remedia, & conſilia reſpuat.

XII. Quod videt alios bonos, ac timoratos homines agere ſine peccati formidine, cogitet, id etiam ſibi licere. Nôrit item leges, & præcepta (præſertim, ſi ſint affirmativa, & poſitiva) ſæpe non ſecundùm rigorem verborum, ſed cum benignâ interpretatione, juxta epicheiam, intelligenda eſſe. XIII.

Digitized by Google

XIII. *Sentiat de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis ſui,* (*d*) neque exiſtimet, Legislatorem tam rigidum, & durum eſſe; ut bonæ voluntatis hominibus peccata adſcribat, pœnámque determinet: neque DEUM, aut Eccleſiam ſuis præceptis efficere velle, ut homo in mentis intemperiem incidat, quod ſcrupuloſo, niſi caveat, accidere poteſt, & ſolet.

XIV. Utile conſilium eſt P. Pauli de Barry, (*e*) ut, qui ſcrupulis affliguntur, ſingulari quadam religione ferantur in cultum S. Joſephi, & S. Ignatij; eorum opem quotidie implorent, pro liberatione à ſcrupulis: id quod etiam poſtulare poterunt, quoties in Miſſa Sanctiſſima Hoſtia elevatur, & populo monſtratur.

XV. Nulla res ſcrupuloſum æquè juvat, atque ingens in DEUM fiducia, longanimis patientia, & omnimoda reſignatio in voluntatem DEI. Si omnia adhibuiſti media, ſi multas ad DEUM preces fudiſti, & nondum à malo tuo liberatus es: noli ideo contriſtari, vel indignari contra DEUM.

XVI. Novit DEUS conatum tuum, afflictionem, & patientiam tuam. Crede

mihi: erit tempus, & fortè brevì, cùm inquieto dicetur mari: *Uſque huc venies, & non procedes ampliùs: & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* (f)

XVII. Nunc multi ſunt in cœlo, & quiete fruuntur pacatiſſimâ, qui turbulentiſſimis olim, dum viverent, ſcrupulorum agitati ſunt procellis. *Abſterſit DEUS omnem lachrimam ab oculis eorum*, & tranſtulit eos in portum ſecuræ felicitatis, ubi nullus ampliùs eſt luctus, nullus dolor, & nulla anxietas.

XVIII. Modò coronantur, & accipiunt palmam, ſeu præmium longæ, quam habuerunt, patientiæ. Nunc lætis vocibus exultant, atque illud cum gaudio ingeminant: *Defecit in dolore vita noſtra, & anni noſtri in gemitibus. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliâſti: annis, quibus vidimus mala.* (g)

CITATIONES.

(a) *2. Cor.* 1. 12. (b) Rom. 14. 23. (c) Matth. 13. 24. (d) Sap. 2. 1. (e) Barry, *in ſolit. hag. die 3. diſſert. matut.* §. 10. (f) Job. 38. 11. (g) Pſalm. 30. 11. & 89. 13.

Caput Sextum.

De PECCATIS IN GENERE, ET SPECIE.

§. I.

De peccatis in genere.

I.

PEccatum *mortale* eſt prævaricatio legis DEI graviter obligantis. Peccatum *veniale* eſt transgreſſio legis DEI leviter obligantis. Quænam autem lex gravem, quæque levem obligationem habeat, atque adeò quænam res legi repugnans, ſit peccatum mortale, aut veniale, haud ita facilè eſt, definire.

II. Quorundam gravitas peccatorum ita manifeſta eſt, ut ea cuivis etiam rudi atque indocto appareat. Aliorum autem ita obſcura, ut etiam perſpicaces, doctíque viri de ea dubitent, aliter atque aliter ſentiant, ac loquantur.

III. Multùm ad peccatorum cognit

nem facit ſtudium Theologiæ moralis, lectio librorum hac de re ſcriptorum, collatio cum viris doctis; ſed omnium maximè fervens oratio, & frequens petitio luminis divini, juxta exemplum Job, DEUM ita precantis: *Quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi.* (*a*)

IV. Ad omne peccatum tria requiruntur, quorum ſi vel unum deficiat, peccatum erit nullum, aut non grave. *Primò*, debet fieri voluntariè. *Secundò*, ſcienter. *Tertiò*, deliberatè.

V. Ex defectu *voluntarij*, non peccant illi, qui contra ſuam voluntatem illicitas cogitationes patiuntur in animo, vel turpes commotiones in corpore, & in appetitu ſenſitivo.

VI. Ex defectu *ſcientiæ*, ſæpe excuſantur pueri, & homines valde rudes, qui rem aliquam lethaliter malam faciunt, neſciunt tamen, vel non cogitant eſſe talem.

VII. Ex defectu *deliberationis*, peccare neſciunt amentes, dormientes, ebrij, & ratione penitus ſunt deſtituti. Item ſemi-fatui, ſemi-ſopiti, ac ſemi-ebrij ſæpe

propter

propter imperfectam deliberationem excuſantur à peccato mortali, quod alioqui tale foret, ſi cum plena deliberatione fieret.

VIII. Tribus modis, ait S. Gregorius, impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. *Suggeſtio* fit per diabolum; *Delectatio*, per carnem; *Conſenſus*, per ſpiritum. Et neceſſaria magna diſcretio eſt, ut inter ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum judex ſui animus præſideat. (*b*)

IX. Cùm enim (pergit S. Doctor) ma- ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi cati delectatio ſequatur, peccam- modo perpetratum non eſt: cùm electari cœperit, tunc pecca- naſci; ſi autem etiam ad con- : deliberatione deſcendit, tunc gnoſcitur perfici.

X. In *ſuggeſtione* igitur (ait idem) peccati ſemen eſt: in *delectatione*, fit nutrimentum: in *conſenſu*, perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc, quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi conſentiat, & cùm caro ſine

anima

magno ſalutis ſuæ verſantur diſcrimine.

III. Sunt etiam, *qui* in unâ, alterâve re ſunt valde ſcrupuloſi; in alijs verò rebus admodum liberi, & laxi *excolantes culicem, camelum* autem *glutientes*, (c) dum ſæpe res parvas, nullius ferè malitiæ, pro magnis peccatis habent, eásque ſcrupulosè devitant: alia verò manifeſtè mala parùm curant, liberriméque ſine ſcrupulo committunt. Qui talis eſt, ea, quæ porrò de ſcrupulis dicentur, quæſo, ne legat, ſed omnibus modis curet, ut animi ſui laxitatem conſtringat potiùs, quàm ut ejus anguſtias laxet.

IV. Scrupulos magnam partem curaveris, ſi eorum indolem, ac naturam probè nôris. *Scrupulus malus ac vitioſus eſt apprehenſio, inani ratione nixa, & hinc ortus timor, peccatum alicubi eſſe, ubi non eſt.*

V. Differt ſcrupulus à *Judicio* certo, vel probabili; quia ſcrupuloſus non judicat, neque putat, ſe hîc & nunc peccare, ſed tantùm apprehendit, ac timet peccatum. Ad eum ferè modum, quo aliquis in loco ſolitario & tenebroſo ſpectra ac lemures formidat, non quòd tales adeſſe judicet, ſed quia hi phan-

Digitized by Google

phantaſiæ quaſi præſentes occurrunt, quam corrigere homini, ſubinde etiam cordato, difficile eſt.

VI. Certè experientia conſtat, viros ſæpe doctos, perſpicaci ingenio, limatóque judicio præditos, ſcrupulorum moleſtiam pati: non quia circa peccati notitiam errant, ſed quia phantaſiam peccati timore occupatam emendare non valent.

VII. Differt item Scrupulus à *Dubio*; quia ſcrupuloſus, licet ex una parte hæreat, ac timeat, ne fortè peccet, atque adeo non omni careat dubitatione: ex altera tamen parte abſolutè judicat, ſe non peccare, ídque vel ex certa ratione, vel ex probabili diſcurſu; id quod illi, qui verè dubius eſt, non accidit. Talis enim neutri parti aſſenſum præbet, ſed quaſi hæret in ſuſpenſo, pro neutra parte rationes probabiles, vel pro utraque æquè probabiles habet.

VIII. Scrupuloſus, ſi à moleſtia ſua liberari velit, audacter contra vanas apprehenſiones, ac timores peccati operari debet; ex certa ſcientia, licitum eſſe, atque conſultum, imò quandoque etiam neceſſarium, *contra ſcrupulos operari.*

IX. Nunquam judicet, eſſe peccatum, niſi id certò deprehendat, & juramento quaſi confirmare audeat. Ea ſolùm confiteatur, quæ manifeſtò peccata eſſe cognoverit; non item dubia, & ſcrupulos.

X. Confeſſarium non de quibusvis dubijs conſulat, ſed ſæpe proprijs rationibus, à Confeſſario præſcriptis utatur, ad depellendos ſcrupulos. Quàm primùm animo ſcrupulus exoritur, prudente ratione aliquâ rejiciat, nec cogitatione foveat.

XI. Confeſſiones non repetat, ſed poſtquam ſemel Confeſſarij judicio, aut ſuo ſaltem probabili, integrè confeſſus fuiſſe viſus eſt, acquieſcat. Perſuadeat ſibi, quòd unusquisque judicio, vel conſilio Confeſſarij, alteriúsve viri docti ac probi tutò acquieſcere poſſit, & verò ſcrupuloſus debeat, ob damna, quæ ſcrupuloſo impendent, ſi remedia, & conſilia reſpuat.

XII. Quod videt alios bonos, ac timoratos homines agere ſine peccati formidine, cogitet, id etiam ſibi licere. Nôrit item leges, & præcepta (præſertim, ſi ſint affirmativa, & poſitiva) ſæpe non ſecundùm rigorem verborum, ſed cum benignâ interpretatione, juxta epicheiam, intelligenda eſſe. XIII,

Digitized by Google

XIII. *Sentiat de Domino in bonitate, & ſimplicitate cordis ſui,* (*d*) neque exiſtimet, Legislatorem tam rigidum, & durum eſſe; ut bonæ voluntatis hominibus peccata adſcribat, pœnámque determinet: neque DEUM, aut Eccleſiam ſuis præceptis efficere velle, ut homo in mentis intemperiem incidat, quod ſcrupuloſo, niſi caveat, accidere poteſt, & ſolet.

XIV. Utile conſilium eſt P. Pauli de Barry, (*e*) ut, qui ſcrupulis affliguntur, ſingulari quadam religione ferantur in cultum S. Joſephi, & S. Ignatij; eorum opem quotidie implorent, pro liberatione à ſcrupulis: id quod etiam poſtulare poterunt, quoties in Miſſa Sanctiſſima Hoſtia elevatur, & populo monſtratur.

XV. Nulla res ſcrupuloſum æquè juvat, atque ingens in DEUM fiducia, longanimis patientia, & omnimoda reſignatio in voluntatem DEI. Si omnia adhibuiſti media, ſi multas ad DEUM preces fudiſti, & nondum à malo tuo liberatus es: noli ideo contriſtari, vel indignari contra DEUM.

XVI. Novit DEUS conatum tuum, afflictionem, & patientiam tuam. Crede

Digitized by Google

mihi: erit tempus, & fortè brevì, cùm inquieto dicetur mari: *Uſque huc venies, & non procedes ampliùs: & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* (*f*)

XVII. Nunc multi ſunt in cœlo, & quiete fruuntur pacatiſſimâ, qui turbulentiſſimis olim, dum viverent, ſcrupulorum agitati ſunt procellis. *Abſterſit DEUS omnem lachrimam ab oculis eorum*, & tranſtulit eos in portum ſecuræ felicitatis, ubi nullus amplius eſt luctus, nullus dolor, & nulla anxietas.

XVIII. Modò coronantur, & accipiunt palmam, ſeu præmium longæ, quam habuerunt, patientiæ. Nunc lætis vocibus exultant, atque illud cum gaudio ingeminant: *Defecit in dolore vita noſtra, & anni noſtri in gemitibus. Lætati ſumus pro diebus, quibus nos humiliâſti: annis, quibus vidimus mala.* (*g*)

CITATIONES.

(a) *2. Cor.* 1. 12. (b) Rom. 14. 23. (c) Matth. 13. 24. (d) Sap. 2. 1. (e) Barry, *in ſolit. hag. die 3. diſſert. matut.* §. 10. (f) Job. 38. 11. (g) Pſalm. 30. 11. & *89. 13.*

Caput Sextum.

De
PECCATIS IN GENERE, ET SPECIE.

§. I.

De peccatis in genere.

I.

PEccatum *mortale* eſt prævaricatio legis DEI graviter obligantis. Peccatum *veniale* eſt transgreſſio legis DEI leviter obligantis. Quænam autem lex gravem, quæque levem obligationem habeat, atque adeò quænam res legi repugnans, ſit peccatum mortale, aut veniale, haud ita facilè eſt, definire.

II. Quorundam gravitas peccatorum ita manifeſta eſt, ut ea cuivis etiam rudi atque indocto appareat. Aliorum autem ita obſcura, ut etiam perſpicaces, doctíque viri de ea dubitent, aliter atque aliter ſentiant, ac loquantur.

III. Multùm ad peccatorum cognit

n

Digitized by Google

nem facit ſtudium Theologiæ moralis, lectio librorum hac de re ſcriptorum, collatio cum viris doctis; ſed omnium maximè fervens oratio, & frequens petitio luminis divini, juxta exemplum Job, DEUM ita precantis: *Quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi.* (*a*)

IV. Ad omne peccatum tria requiruntur, quorum ſi vel unum deficiat, peccatum erit nullum, aut non grave. *Primò*, debet fieri voluntariè. *Secundò*, ſcienter. *Tertiò*, deliberatè.

V. Ex defectu *voluntarij*, non peccant illi, qui contra ſuam voluntatem illicitas cogitationes patiuntur in animo, vel turpes commotiones in corpore, & in appetitu ſenſitivo.

VI. Ex defectu *ſcientiæ*, ſæpe excuſantur pueri, & homines valde rudes, qui rem aliquam lethaliter malam faciunt, neſciunt tamen, vel non cogitant eſſe talem.

VII. Ex defectu *deliberationis*, peccare neſciunt amentes, dormientes, ebrij, & ratione penitus ſunt deſtituti. Item ſemi-fatui, ſemi-ſopiti, ac ſemi-ebrij ſæpe

propter

propter imperfectam deliberationem excuſantur à peccato mortali, quod alioqui tale foret, ſi cum plena deliberatione fieret.

VIII. Tribus modis, ait S. Gregorius, impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. *Suggeſtio* fit per diabolum; *Delectatio*, per carnem; *Conſenſus*, per ſpiritum. Et neceſſaria magna diſcretio eſt, ut inter ſuggeſtionem, delectationem, & conſenſum judex ſui animus præſideat. (*b*)

IX. Cùm enim (pergit S. Doctor) malignus ſpiritus peccatum ſuggerit in mente, ſi nulla peccati delectatio ſequatur, peccatum omni modo perpetratum non eſt: cùm verò caro delectari cæperit, tunc peccatum incipit naſci; ſi autem etiam ad conſenſionem ex deliberatione deſcendit, tunc peccatum cognoſcitur perfici.

X. In *ſuggeſtione* igitur (ait idem) peccati ſemen eſt: in *delectatione*, fit nutrimentum: in *conſenſu*, perfectio. Et ſæpe contingit, ut hoc, quod malignus ſpiritus ſeminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi conſentiat, & cùm caro ſine

anima

Digitized by Google

anima delectari nequeat, ipſe tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec conſentiat, & tamen delectatione ligatus ſit, ſed ligatum ſe vehementer ingemiſcat.

§. II.

De eodem argumento.

I.

QUàm multæ tollerentur anxietates in foro conſcientiæ, magnæque vitarentur incommoditates in pœnitentiæ Sacramento, ſi homines poſſent liberas cogitationes, & actus rationales diſcernere à brutis quibusdam incidentijs, atque irrationabilibus phantaſijs, quas S. Bernardus hunc in modum aptiſſimè depingit.

II. Quæ verò ſecundo loco ponuntur, cogitationes ſine intellectu, ipſæ ſunt vanæ illæ & otioſæ, non tam cogitationes, quàm ex veris, & imaginarijs recordationibus ſimulacra quædam cogitationum, ſeu ipſæ recordationes, ultro & multipliciter de memoria ſcaturientes, in quibus paſſio quæ-

quædam voluntatis potiùs videtur eſſe, quàm actio; cùm nulla ſit in eis cogitantis intentio; cùm, quod ſpontè ebullit de memoria formante, offertur intellectui non curanti; & quidquid agitur, videtur potiùs agi in ſomnio dormientis, quàm in acie cogitantis. (c)

III. Ex quo ſequitur, has cogitationes, ſive incidentias, quantumvis impiæ, turpes, ac blaſphemæ ſint, non tantùm non eſſe peccata, ob defectum humanæ libertatis, ſed ſæpe magnorum cauſas meritorum, propter actum generoſæ virtutis.

IV. Felix anima, *ait idem S. Pater*, quæ peccatum ſentiens, peccato non conſentit, quam etſi cogitatio inquinat, ratio lavat, pugnans & repugnans legi peccati. Moleſta lucta eſt, ſed fructuoſa, quæ etſi pœnam habet, adhibet & coronam: imò quod ſentientem fatigat, vincentem coronat. In hoc enim conflictu, ubi ſenſus eſt, non conſenſus, *nihil damnationis eſt*, juxta Apoſtolum, (*d*) *his, qui ſunt in Chriſto JESU.* Hæc S. Doctor. (*e*)

V. Sola interior voluntas ſæpe eſt peccatum mortale, tametſi nullum opus exter-

num

num accedat: v. g. complacentia in ſuo, vel alterius peccato; deſiderium rei illicitæ etiam inefficax; propoſitum efficax peccandi. Et talis interior voluntas in confeſſione dici debet, etſi in opus externũ non prodiêrit; ſi verò peccatum externum reipsâ ſecutum eſt, ſufficit, ſolum externum opus confiteri, nulla mentione facta interioris voluntatis.

V. Ad hoc ut aliquis peccet mortaliter, non requiritur, ut malitiam peccati quà talem ex inſtituto & directè velit; hoc enim pauci, nec niſi extremè mali faciunt: ſed ſatìs eſt, aliquid velle, dicere, facere, cui nôſti, malitiam peccati, offenſam DEI, injuriam proximi, ſemper annexam eſſe.

VI. Exempli gratiâ. Qui ſe inebriat, offenſam DEI non quærit, ſed ſuam voluptatem. Qui magnam pecuniæ ſummam furatur, non tam alteri obeſſe cupit, quàm ſibi prodeſſe: & tamen uterque peccat mortaliter, quia, licèt malitiam peccati, offenſam DEI, & proximi injuriam directè non intendant, volunt tamen rem aliquam, cui mala prædicta indiſſolubiliter adjuncta eſſe, non ignorant: quod eſt con-

tra

Digitized by Google

tra legem, & nutum DEI, qui vult, ac præcipit, ut malitiam non tantùm in ſe directè intentam, ſed cuicunque inexiſtentem rei, & à nobis bene agnitam deteſtemur, & fugiamus.

VII. Peccatum mortale, & veniale, infinitam quaſi diſtantiam inter ſe habent. Unde ex venialibus peccatis, quantumvis multiplicatis, nunquam fit mortale. Peccatum, ex ſe mortale, per accidens fieri poteſt veniale; vel ex imperfecta, & ſemiplena deliberatione; vel ex parvitate materiæ. Prioris exemplum eſt, delectatio carnalis in ſemiſopito: poſterioris, furtum rei modicæ.

VIII. Peccatum ex ſe veniale, per accidens fieri poteſt mortale; ſi nimirum huic gravis malitia alterius peccati accedat: v.g. mendacium (quod ex genere ſuo tantùm veniale peccatum eſt) fit mortale, ſi dicatur cum gravi damno alterius præviſo, vel intento; tunc enim illi accedit malitia gravis injuſtitiæ.

§. III.

De Peccatis in ſpecie.

I.

AB Auctoribus ſeptem ſpecies peccatorum enumerantur, ad quas omnia peccata tam mortalia, quàm venialia reducuntur. Hæ ſunt, *Superbia. Avaritia. Luxuria. Invidia. Gula. Ira. Acedia.*

II. Hæ ſeptem ſpecies peccatorum in Catechiſmo appellantur *Peccata Capitalia, ſeu Mortalia.* Sciendum tamen eſt, ea propriè non eſſe peccata, ſed tantùm paſſiones, & appetitus, qui facilè homines in tranſverſum agunt, trahúntque in peccata mortalia, & venialia.

III. *Superbia* eſt inordinatus appetitus, quo homo ſe ſuper id, quod eſt, extollit.

IV. *Avaritia* eſt inordinatus appetitus bonorum temporalium.

V. *Luxuria* eſt inordinatus appetitus impuræ, & libidinoſæ voluptatis.

VI. *Invidia* eſt triſtitia de bono alterius, & odium felſcitatis alienæ, prout hæc eſt diminutiva propriæ excellentiæ.

VII.

VII. *Gula* eſt inordinatus appetitus cibi, & potûs.

VIII. *Ira* eſt inordinatus appetitus vindictæ.

IX. *Acedia* eſt triſtitia, ſeu tædium de re ſpirituali, ſive animi remiſſi languor ad bene operandum.

CITATIONES.

(a) Job. 23. 33. (b) S. Gregor. *in reſponſ. ad 11. interrog. Auguſtini Cantuar. Epiſcopi.* (c) S. Bern. *de vita ſolit. ad Fratres de monte DEI.* (d) Rom. 8. 1. (e) S. Bern. *lib. de conſid. de 4. conſcientijs.*

Caput Septimum.

De MORALIBUS IMPERFECTIONIBUS.

§. I.

De natura, & indole moralis imperfectionis.

I.

Multùm prodeſt ad confeſſionem ritè peragendam, probè nôſſe diſcrimen

inter *Peccatum*, & *Imperfectionem*. Differt enim Peccatum ab Imperfectione, ſicut ſpecies à genere. Nam, teſte Suarezio, *Imperfectio latiùs patet, quàm peccatum* (a) unde, licèt omne peccatum ſit imperfectio, non tamen omnis imperfectio eſt peccatum. Dantur enim imperfectiones aliquæ, quæ peccata non ſunt; & conſequenter neque materia ſufficiens pro confeſſione, quamvis illæ cum laude, nec ſine fructu quandoque in confeſſione dicantur: tum quia & ipſæ quandam habent inordinationem, dolore & pœnitudine dignam; tum quia plerumque peccati ſunt effectus, vel cauſæ, vel comites.

II. Eſt autem moralis imperfectio (prout hîc accipitur) *actio, vel omiſſio repugnans ſuaſioni, ſeu conſilio ſano ad mores ſpectanti, & ex ſe nec vetita, nec imperata: atque adeo adverſans aut conſilijs, inſpirationibúsque Divinis, aut Superiorum voluntati, etſi ad peccatum non obliganti, aut dictamini rationis impellenti ad honeſtiora, & decentiora circa actiones morales.*

III. Exempla moralium imperfectionum

Digitized by Google

num aſſignari poſſunt ſequentia. *Primò.* Contentum eſſe virtute vulgari. *Secundò.* Non parere DEO vocanti ad ſublimius vitæ genus. *Tertiò.* Ea magnifacere, ac multùm amare, quæ mundus impensè diligit. *Quartò.* Solatia honeſta, atque commoditates, etiam licitas, in victu, veſtitu &c. avidiùs, quàm decet, quærere, optare, vel uſurpare. *Quintò.* Non ſervare ſtatuta communitatis, cujus pars eſt. *Sextò.* Incurium, aut perfunctorium eſſe in rebus agendis. *Septimò.* Dicere, aut facere adverſantia civilitati politicæ, ac decoro: ut loqui perturbatè, aut præcipitanter, coram alijs ſedere pedibus decuſſatis, ambulare brachijs utrinque pendulis, manu ſiniſtra edere &c.

IV. His addit Georgius Gobat *in Experimentali Theologia ſua, tractatu ſeptimo, Caſu decimo quinto, numero 509.* ſequentia exempla. Non parere inſpirationibus divinis. Non præfigere bonum finem actionibus indifferentibus, vel infimæ virtutis. Non accuratè ſervare modeſtiam, manſuetudinem, in omnibus. Exiguam, etſi ſubſtantialiter ſufficientem, præparatio-

nem adferre ad confeſſionem, Sacram Communionem, Celebrationem Miſſæ.

V. Certum eſt, atque in confeſſo apud omnes tam Theologos, quàm Aſcetas, *morales imperfectiones*, de quibus hîc ſermo, *non eſſe peccata verè ac propriè dicta*. Peccatum enim verè ac propriè dictum, in eſſentiali ſuo conceptu, transgreſſionem dicit præcepti divini: moralis autem imperfectio non præcepto, ſed conſilio DEI ſolummodo repugnat, atque adeo peccatum verè ac propriè eſſe, dicíque non poteſt.

VI. Certum quoque eſt, atque à nemine negatur, eaſdem morales imperfectiones, tametſi peccata non ſint, aliquam tamen moribus humanis afferre deformitatem, magnorúmque ſæpe damnorum, incommodorúmque in vita ſpirituali occaſiones & cauſas exiſtere; id quod Theologi pariter, atque Aſcetæ paſſim docent, dicúntque.

VII. An autem ex eo, quòd morales imperfectiones aliqualem, uti dictum, inordinationem habeant, malignóſque producant effectus, rectè colligatur, ritéque ac rationabiliter inferatur, *eas moraliter* (in ſe atque intrinſecè) *malas eſſe, culpámque in ſe* con-

continere verè Theologicã, à malitia peccati diſtinctam, hoc præſens tractatus iſte, ſive Auctor illius nihil omnino definit, ſed prorſus abſtinet à controverſia iſta, ſupponítque ſententiam communem, quam omnes, aut plerique tenent.

§. II.

Octo Aſſertiones de morali imperfectione iuxta communem Theologorum, Aſcetarum, aliorúmque ſenſum & doctrinam.

I.

DUæ potiſſimùm cauſæ ſunt, has octo aſſertiones apponendi. *Prima* eſt, ut per oſtenſam earum veritatem, ratio & conceptus moralis imperfectionis, alioquin in vulgus non ita notæ, meliùs elucеſcat. *Secunda*, ut major auctoritas, & fides concilietur motivis dolendi de morali imperfectione, quæ infrà in ſecunda parte hujus operis afferentur.

Aſſertio prima.

II. Imperfectio moralis, tametſi peccatum, ſeu culpa Theologica verè ac propriè dicta non ſit, eſt tamen reprehenſibilis, vituperio digna.

Aſſertionem iſtam duo præſtantes Theologi tradunt: Eſparza ſcilicet, & Haunoldus. Prior, *quæſt.* 35. *De Incarnatione ad primum* hac de re ſic loquitur: *unde omiſſio libera actûs perfectioris cujuſvis, ejúsque impeditio per actum minùs perfectum. eſt aliqua imperfectio moralis in puro homine viatore, eúmque conſtituit reprehenſibilem; quia privat eum majore aliquâ ſecuritate, obtinendi ultimi finis, ideóque conſtituit in aliquo ſpeciali periculo voluntario ejuſdem amittendi.* Poſterior, *Part.* 3. *Controverſ.* 2. *num.* 315. *in reſponſione* ait, *Reprehenſibilitatem deſumi ab uſu, vel non-uſu mediorum, ut conducentium ad ultimum finem, ſimpliciter, vel meliùs poſſidendum.*

Aſſer-

Aſſertio Secunda.

III. Imperfectio moralis, etſi peccatum, ſeu culpa verè ac propriè dicta non ſit, DEO tamen diſplicet, vel certè non placet.

Hoc clarè, diſertéque docet Nicolaus Lancicius, qui *in primo tomo ſuorum Operum, cap. 1. num. 7.* Sic ait: *Diſplicent Deo, ſeu potiùs non placent, quædam imperfectiones operum, quæ, etſi propriè loquendo peccata non ſint, ſunt tamen judicio DEI, vel Sanctorum reprehenſione digna.*

IV. Speciatim verò (ait Idem *num 6.*) *diſplicent DEO, violationes regularum religioſarum (& ſimilium legum, in aliquibus pijs Congregationibus præſcriptarum) etiam illarum quæ ex ſe non obligant ad peccatum; tum quia diſplicent, & vetitæ ſunt à vicarÿs DEI, Superioribus noſtris, divinæ apud nos voluntatis interpretibus, quos audiendo, vel ſpernendo, DEUM audimus, vel ſpernimus; tum quia vix aliquando violantur regulæ religioſæ, ſine aliquo peccato, ob cauſas, quas affert S. Thomas 2. 2. quæſt. 186. a. 9. ad. 1. & ibidem explicat Cajetanus, & no-*

ſter P. Thomas Sanchez. tom. 1. Decal. l. 6. c. 4. num. 14. 15.

Aſſertio Tertia.

V. Imperfectio moralis, etiamſi peccatum, ſeu culpa propriè dicta non ſit, eſt tamen punibilis, ſeu quaſi punibilis, & divinam aliquo modo meretur caſtigationem.

Veritatem hujus Aſſertionis perſpicuè tradit Vincentius Caraffa, Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, in *Tomo Secundo Theologiæ myſticæ, lib. 2. pag. 65.* his verbis: *DEUS hâc pœnâ ſpirituali non tantùm punit defectus, in quibus eſt culpa; verùm etiam eos, qui abſque culpa exiſtunt, & ſolùm dicunt defectum perfectionis; ut, quando non correſpondemus divinis inſpirationibus, ad quas non obligamur. Hos defectus non caſtigat Dominus DEUS noſter pœnâ poſitivâ (quia ubi non eſt culpa, ibi nec datur pœna) ſed pœnâ privativâ, id eſt, negativâ.*

VI. Clariùs eandem veritatem elucidat Leonardus Leſſius hunc in modum. *Non ſolùm*

ſolùm ob peccata, ſed etiam ob teporem, & neglectum quendam divinarum inſpirationum, qui tamen per ſe non ſit peccatum, divina auxilia plerumque minuuntur. Cui enim DEUS magna auxilia offert, & res magnas inſpirat, ſi ille, vel anguſtiâ animi, vel affectu commodioris vitæ, ea negligat; & eo nomine, quòd non ſint præcepta, nolit conſentire divinæ vocationi, meretur imposterum hujuſmodi deſtitui, & minoribus duntaxat adjuvari. Meretur, ut DEUS non tantâ illum curâ tueatur; non tantis præveniat excitamentis; non tantis dirigat ſucceſſibus. Hinc multæ tentationes, multæ afflictiones corporales, & ſpirituales, multáque ſalutis pericula. (b)

Aſſertio Quarta.

VII. Imperfectio moralis, licèt peccatum, ſeu culpa propriè dicta non ſit, fugienda tamen eſt, & ſummopere cavenda; iis maximè, quos DEUS ad ſublimius vitæ genus, & ad ſtatum perfectionis vocavit.

Ratio

Ratio aſſertionis eſt; quia omnia, quæ diſplicent DEO, fugienda ſunt. Talia autem primò, & principaliter ſunt *Peccata*, quæ intrinſecè mala ſunt, poſitivè diſplicent DEO, ideóque & in hac, & in altera vita puniuntur à DEO. Talia item ſunt quædam *morales imperfectiones*, quas etiam diſplicere ſeu non placere DEO, paulò antè dictum, oſtensúmque eſt.

VIII. Meritò ergo S. Vincentius Ferrerius, in aureo ſuo opuſculo de vita ſpirituali ſcriptum reliquit: Inter perfectiones varias ſeptimam eſſe; *vitare viriliter omnem perſonam, & omnem creaturam aliam, quæ impelleret eum, non ſolùm ad peccatum, ſed etiam ad aliquam imperfectionem vitæ ſpiritualis.* Exiſtimavit ergo hic magnus vitæ ſpiritualis Magiſter, aliud eſſe *peccatum*, & aliud *imperfectionem*, quam cùm vitari debere aſſerat, ſupponit, diſplicere DEO aliquomodo etiam *imperfectionem*, etſi non in eo gradu, quo diſplicet DEO peccatum, propriè, & in rigore loquendo.

Aſſertio Quinta.

IX. Imperfectio moralis, quam-

vis

vis peccatum, ſeu culpa propriè dicta non ſit, expiabilis tamen eſt, atque expiatione indiget.

Teſtatur hoc Nicolaus Lancicius loco citato, per hæc verba: *Verum igitur eſt, aliud eſſe peccatũ, aliud imperfectionem; & hanc quoq; expiatione indigere, ac proinde diſplicere Deo, etiamſi propriè culpa & peccatũ non ſit.*

X. Confirmat hoc ſuum dictum idem Auctor ſententiâ aliquâ S. Baſilij, qui ponderans Chriſti reſponſum datum Petro renuenti ſibi lavari pedes: *Si non lavero te, non habebis partem mecum,* (c) ſic ait. (*d*) *Quamvis nullam ſignificationem peccati, aut alicujus contemptionis dederit, ſed potiùs honore, qui herum decebat, uſus eſt, eúmque cultum, ac reverentiam exhibuiſſet, quam exhibere ſervum & diſcipulum, par erat, tamen ob rem ejusmodi, ei jactatæ ſunt minæ, ut, niſi promptitudine, ac velocitate obedientiæ repugnantiam ſuam correxiſſet, non illi profectò beatitudines à DEO in eum profectæ, non dona, non promiſſiones ſuffeciſſent ad præſentem illam repugnantiam expiandam.*

Aſſer-

Aſſertio Sexta.

XI. Imperfectio moralis, quanquam peccatum, ſeu culpa propriè dicta non ſit, dolore tamen, & pœnitudine digna eſt, & multam, ſe coram DEO humiliandi, cauſam præbet.

Præclarus quidam Theologus, in ſequente citandus paragrapho, de morali diſputans imperfectione, pro veritate hujus Aſſertionis ita loquitur: *Solent viri ſancti, & valde pænitentes vehementer dolere de imperfectionibus moralibus, eáſque in confeſſionibus explicare.* (e) Idem ait paulò antè nominatus Aſceta, per hæc verba. *Non ſunt parvi facienda etiam imperfectiones ejuſmodi, quæ non habentur pro peccatis; ſed judicio DEI, qui videt noſtra omnia meliùs, quàm nos, verè ſunt aliquando peccata, etſi nobis, oculos obfuſcatos habentibus, non videantur eſſe peccata: à viris tamen ſanctis, tales aliquæ, tanquam peccata vitantur, & Confeſſioni ſubjiciuntur.* (f) Nam ut S. Dorotheus ait: *Viri ſancti, quantò magis*

adhærent DEO, & illi propiùs accedunt, tantò ſe magìs peccatores agnoſcunt, & deteriores ducunt. (g) Etiam ob imperfectiones inculpabiles, judicio vulgi.

XII. De juſta cauſa ſe humiliandi coram DEO propter morales imperfectiones clarè indicant hæc verba S. Joannis Climaci: *Sunt apud ſpirituales viros quædam plerumque viliſſima vitia, mira DEI diſpenſatione, in eis relicta, ut per vitia illa, quæ ſine peccato ſunt* (morales ſcilicet imperfectiones) *ſe ipſos ſemper valde accuſantes, humilitatis opes inviolabiles acquirant.* (h)

Aſſertio Septima.

XIII. Imperfectio moralis, tametſi peccatum ſeu culpa propriè dicta non ſit, pro ea tamen commiſſa, petenda à DEO venia, & aliqualis illi ſatisfactio præſtanda eſt.

Ita ſentit, & ſic docet Joannes de Dicaſtillo *in Tractatu ſecundo de Sacramento pænitentiæ. diſp. 1. dubit. 2. num.* 123. hunc differens in modum. Rectè notant Theologi, Imperfectionibus (culpâ carentibus) DEUM

DEUM non offendi, neque propter eas iraſci poſitivè, nec reddi poſitivè averſum ab homine; quia, ubi culpa nulla eſt, neque DEI averſio, aut indignatio reperitur, quæ ſoli culpæ reſpondet; adeóque nulla pœna imperfectionibus directè reſpondebit, quæ ſolùm ſequitur culpam. (*i*)

XIV. Pœnitentia nihilominus non incongruè poterit ejusmodi imperfectiones, & præteritas deteſtari, & ex eadem deteſtatione impoſterum præcavere: quia, licèt peccata non ſint, nec poſitivè DEUM offendant, aut jus divinum lædant, propter has tamen imperfectiones minùs liberalis eſt DEUS in conferendis auxilijs, quibus homo, vel præcaveat peccata, vel congruâ pœnitentiâ abſtergat quotidianas peccatorum venialium ſordes.

XV. Ex hoc etiam fit, ut meritò pœnitens petat à Deo veniam etiam imperfectionum; & velit pro illis etiam ſatisfacere; & deinceps perfectionem ſectando, præteritas imperfectiones compenſare, ut DEUM habeat magis liberalem in conferendis auxilijs pro ſuperandis peccatis, eáque ratione meliùs ſervet jus DEI, ad quod ſervandum ordinatur pœnitentia.

Aſſer-

Digitized by Google

Aſſertio Octava.

XVI. Imperfectio moralis, etſi peccatum, ſeu culpa propriè dicta non ſit, prudenter tamen ac laudabiliter Chriſti Fideles de ea commiſſa in Sacramento pœnitentiæ ſeſe accuſant.

Non debent reprehendi Confeſſarij, (*ait magnus quidam Theologus paulò pòſt citandus*) quòd pœnitentes in dicendis imperfectionibus non impediant; tum quia plura ex ijs, quæ videntur meræ imperfectiones, non fiunt ſine aliqua culpa veniali; præſertim, ſi cum communi ſententia Thomiſtarum ſupponas, *non dari actum moralem in individuo indifferentem*: ex hoc enim conſtat, eos omnes actus, qui ex fine honeſto non fiunt, eſſe peccata venialia. (*k*)

XVII. Tum etiam quia non eſt neceſſe, quòd omnia, quæ pœnitens in confeſſione dicit, ſint determinatè & abſolutè materia abſolutionis. Multa quippe dicuntur ad majorem abundantiam, vel ut notitiam ſui

 magìs

magìs plenam pœnitens Confeſſario tribuat: unde & beneficia etiam à DEO accepta narrantur; vel ut, ſi quid fortaſſe culpæ, aut peccati in ijs fuit, id totum per Sacramentum, & abſolutionem deleatur.

XVIII. Sicut ergo Infirmus omnia Medico narrat, ut, ſi quid invenerit curatione dignum, remedium adhibeat: ſic pœnitens Confeſſario, qui ſimul medicus eſt, poteſt abſque vitio omnia narrare, etiam imperfectiones; quia ad Confeſſarium magìs ſpectat, diſcernere, quæ ſit, & quæ non ſit abſolutionis materia; & ut Confeſſarius magìs perſpectam habeat pœnitentis conſcientiam, & eò meliùs de toto ejus ſtatu poſſit judicare in ordine ad debitum remedium adhibendum.

§. III.

Diſcurſus Theologicus de morali imperfectione.

I.

HUnc depromo ex doctiſſimis commentarijs duorum magni nominis Theologorum. *Primus diſcurſus* eſt iſte.

R. P.

Digitized by Google

R. P. Ioannes de Lugo è Societate IESU

Olim in Collegio Romano ejusdem Societatis Profeſſor Theologiæ, poſtea Cardinalis, *in Opere Diſputationum Scholaſticarum, de pœnitentia, diſp. 3. ſect. 1. num. 9.* Sic diſſerit de morali imperfectione.

II. Hinc poteſt oriri dubium, an pœnitentia extendatur ad dolendum de imperfectionibus, prout diſtinguuntur à culpa & peccato, quando quis v. g. omittit actum perfectiorem, vel conſilij, ad quem non tenebatur. (*l*)

III. *Certum eſt*, has meras imperfectiones non eſſe materiam Sacramenti pœnitentiæ; nam forma illius Sacramenti, eſt abſolutio à ſolis peccatis. *Certum etiam eſt*, has imperfectiones non reddere DEUM poſitivè averſum ab homine; quia ubi non eſt culpa, non eſt DEI averſio, & indignatio.

IV. *Certum etiam videtur*, his imperfectionibus non correſpondere pœnam aliquam. Hæc enim eſt correlativa culpæ, & ubi culpa non eſt, non eſt etiam dignitas pœnæ. Ex quibus conſequenter fieri videtur, virtutem pœnitentiæ non poſſe dete-

Digitized by Google

ſtari has imperfectiones, tanquam immediatè perturbatrices pacis hominis cum DEO, vel tanquam DEI offenſas.

V. Cæterùm adhuc videtur pœnitentia exercere poſſe aliquem odij actum, circa has imperfectiones, quaſi circa oppoſitas, ſaltem mediatè, cum DEI pace, quam conſervare intendit. Nam, licèt propter ipſas non avertatur DEUS poſitivè ab homine, ut ita dicam: avertitur tamen quaſi negativè, id eſt, minùs convertitur ad ipſum: & licèt non irritetur poſitivè ad puniendum, tamen deobligatur ad danda auxilia efficacia & uberiora: quæ negatio, licèt non ſit poſitivè, & in rigore pœna, eſt tamen quaſi indirectè propter imperfectionem, quaſi propter removens prohibens, & illa imperfectio videtur indirectè diſponere ad culpam, quæ ex negatione auxilij efficacis conſequitur.

VI. Quare ſub hac ratione poteſt odio haberi à pœnitentia imperfectio, tanquam diſpoſitio remota, inducens indirectè culpam, & offenſionem DEI. Et ſub eadem ratione poteſt virtus pœnitentiæ vitare imperfectiones, & ab illis accuratè cavere.

Digitized by Google

VII. Hinc etiam intelliges, *quo ſenſu pœnitens petat à DEO veniam harum imperfectionum, & curet etiam pro illis ſatisfacere.* Non enim ideo petit veniam, quia ſupponit, DEUM poſitivè iratum; ſed, quia exiſtimat, negativè averſum manere, ad beneficia ſpecialia, quæ alioquin benignè conferret.

Ideo curat pœnitens ſatisfactionibus, & obſequijs compenſare, quod per negligentias perdidit de benevolentia DEI, & ejus ſibi animo conciliando, ut habeat ſibi DEUM in eo ſtatu, in quo fuiſſet, ſi non imperfectè & negligenter, ſed perfectè, atque exactè in ejus obſequio ſe geſſiſſet, quod totum cadere poteſt ſub motivo pœnitentiæ. *Hucuſque Cardinalis De Lugo.*

VIII. Sequitur alterius Theologi *diſcurſus* de morali imperfectione.

R. P. Antonius Perez è Societate IESU

Olim in eodem Collegio Romano ejusdem Societatis Theologiæ Profeſſor, in *Tractatu de pœnitentiâ* (non impreſſo, ſed manuſcripto) *diſp.* 2, *cap.* 1. §. 2. de morali imperfecti-

fectione ſic diſcurrit. Quæritur, utrùm imfectio moralis ſit objectũ materiale pœnitẽtiæ?

IX. Ratio dubitandi eſt, quia imperfectio moralis non eſt peccatum: & ſolum peccatum videtur eſſe objectum materiale volitum à pœnitentia. Ex alrera parte videtur eſſe, quia viri ſancti, & valde pœnitentes ſolent vehementer dolere de imperfectionibus moralibus, eáſque ſolent in confeſſionibus explicare. (*m*)

X. Sunt ergo materia Sacramenti pœnitentiæ, alioquin fruſtra explicarentur in confeſſione. Cùm ergo id, quod eſt materia Sacramenti pœnitentiæ, poſſit eſſe materia virtutis pœnitentiæ, videtur concludi, imperfectiones morales eſſe objectum materiale virtutis pœnitentiæ. Quæſtio hæc ut intelligatur, ſupponendum, quid ſit *imperfectio moralis*, prout diſtinguitur à peccato veniali. Imprimis conſtat apud omnes, imperfectionem moralem voluntariam neceſſariò dicere omiſſionem majoris boni, aut electionem minoris boni.

XI. Aliqui exiſtimant, eſſentiam imperfectionis moralis conſiſtere tantùm in omiſſione majoris boni; & non in electione minoris

noris

noris boni: unde inferunt, abſolutè loquendo in Beatis eſſe poſſibiles imperfectiones morales voluntarias, quāvis, moraliter loquendo, ſint impoſſibiles, ac proinde nunquam accidant.

XII. Ego exiſtimo, in Beatis eſſe impoſſibiles imperfectiones morales, quamvis ſit poſſibilis electio minoris boni. *Et ratio eſt*, quia licèt imperfectio moralis non ſit contra præceptum, neque mereatur dilationem beatitudinis, ut peccatum veniale meretur, tamen impedit augmentum charitatis.

XIII. Nam, ſi cui datur optio eligendi matrimonium, aut virginitatem, juxta conſilium Evangelicum, & inſpirationem divinam; eligendo matrimonium, non peccabit, ſed non merebitur tantam gratiam, neque tantum charitatis augmentum, per actum electionis Matrimonij, quantum poſſet mereri per actum electivum virginitatis.

XIV. Deinde, ſi eligat virginitatem, poteſt cum hac electione habere actum intenſiorem charitatis, quàm poteſt habere cum electione matrimonij. Cùm itaque perfectio in ordine ſupernaturali conſiſtat in actu charitatis, non eſt mirum, ſi dicamus, in hoc caſu electionem matrimonij eſſe

imperfectionem moralem, licèt peccaminoſa non ſit.

XV. At in Beatis alia eſt ratio; nam ante omnem actum liberum ipſorum ſupponitur viſio beatifica, & amor DEI, ſecundùm ſe terminatus ad bonitatem divinam ſecundùm ſe, cum tota intenſione actûs poſſibilis, juxta proportionem viſionis, & habitum charitatis.

XVI. Quâ ſuppoſitione factâ, liberum eſt Beato, eligere actum hujus virtutis, aut illius, ſine detrimento intenſioris charitatis actûs, hîc & nunc ipſi poſſibilis.

XVII. His expoſitis, *prima ſententia* dicit, *poſſe imperfectiones morales, quæ nullo modo ſunt peccata, eſſe objectum materiale pænitentiæ.* Sed mihi cum S. Thoma oppoſitum videtur verum. Quia ex dictis ſatis conſtat, omnem pœnitentiæ actum ſupponere eſſentialiter peccatum, quale non eſt pura imperfectio moralis.

XVIII. Factâ autem ſuppoſitione alicujus peccati ſaltem venialis, poteſt pœnitentia imperare actum charitatis perfectiſſimum, quo non ſolùm velimus non peccâſſe, ſed etiam non commiſiſſe imperfectio-

ctionem moralem ; ſicut poteſt imperare non ſolùm propoſitum non peccandi, ſed etiam propoſitum agendi optimam vitam, conformem conſilijs Evangelicis.

XIX. Diximus autem ſuprà, poſſe pœnitentiam per actum ſuum elicitum amare reflexione quadam omnia, quæ amat actus charitatis imperatus ab ipſa. Poterit ergo pœnitentia elicere actum, quo velimus, non commiſiſſe imperfectionem moralem, ſed feciſſe meliùs, eligendo meliorem actum, & conformem conſilijs Evangelicis.

XX. Adde, ex imperfectionibus moralibus oriri occaſiones peccatorum venialium, in quæ incidimus, quæ non fuiſſent commiſſa à nobis, ſi fuiſſemus perfectiores, & devotiores. Ergo etiam propter hanc cauſam poterit pœnitentia elicere actum, quo nolimus commiſiſſe imperfectionem moralem.

XXI. *Ad Argumentum*, quo dicebatur, ſanctos viros ſe ſolere accuſare in confeſſione de imperfectionibus moralibus, *reſpondeo*, ſanctos viros eas nunquam dare (niſi fortè ex ignorantia) pro materia ab-

ſolutionis Sacramentalis: nam abſolutio Sacramentalis tantùm cadere poteſt in peccatum, quod cœleſte regnum claudit, donec fiat ſatisfactio. Tamen viri ſancti propter duas cauſas poſſunt aperire in confeſſione ſuas imperfectiones morales, quod tamen ipſum moderatè eſt faciendum, ut relinquatur locus explicandis peccatis.

XXII. *Prima* eſt, ut exerceant aliquem actum humilitatis, & mortificationis, & quaſi in ſatisfactionem, & pœnam alicujus peccati, quod confitentur; & ut Confeſſarius meliùs intelligat ſtatum animæ ipſorum, & meliùs illos dirigat, & meliorem peccatis medicinam afferat.

XXIII. Quamvis autem confeſſioni non reſpondeat in Sacramento gratia, remiſſiva ipſarum imperfectionum moralium, tamen ob hanc bonam diſpoſitionem, quâ pœnitens ſe diſponit ad impetrandam gratiam remiſſivam peccatorum, poteſt ex opere operato augeri gratia remiſſiva peccati, reſpondens meliori diſpoſitioni.

Sic, ſi aliquis augeat orationem, jejunium, & eleemoſynas, pro diſpoſitione ad confeſſionem, indubitanter obtinebit majo-

majorem gratiam ex opere operato. Quare laudanda eſt illorum diligentia, qui cum magno fervore ad confeſſionem ſe præparant, & magna auxilia merentur ad emendationem peccatorum propter opus operatum ipſius confeſſionis.

XXIV. *Secunda* cauſa eſt; quia ex una parte ſciunt, *juſtum ſepties in die cadere;* ex altera neſciunt, in quo actu in præſenti ipſi ceciderint, & peccatum veniale commiſerint. Peccata enim venialia Perfectorum ſunt valde ſubtilia, & occulta; quia fiunt ex ſubreptione, & negligentia quadam humana: nec enim illorum peccata venialia ſunt perfectè deliberata, neque diſponunt immediatè ad mortalia, ſed ad venialia majora.

XXV. Quia autem peccata venialia ex ſubreptione communiter miſcentur imperfectionibus moralibus, præſertim certi generis: ideo viri ſancti confitentur imperfectiones morales, ut aliquo modo determinent, in quo genere peccârint; nam ordinariè in hoc patiuntur ſcrupulum: & in quo ſolent faciliùs accidere peccata venialia ex ſubreptione, quàm in alio.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Prudenter ergo eas imperfectiones declarant: & non rectè reprehenduntur à nonnullis nimiùm ſciolis, quòd confiteantur imperfectiones morales, quæ non ſunt materia abſolutionis. Sed tamen advertere debuiſſent, confeſſionem imperfectionis moralis poſſe eſſe confeſſionem, quaſi peccati dubij & probabilis, & poſſe etiam illam confeſſionem eſſe utilem, ad fines expoſitos. *Hucuſque P. Antonius Perez.*

CITATIONES.

(a) Suarez. *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 1. num. 14.* (b) Leſſius *lib. 13. de perfect. divin. cap. 15. num. 13.* (c) *Ioan.* 13. 18. (d) S. Baſil. *orat. 3. de peccat.* (e) Perez *Tract. de pœnit. diſp. 2. cap. 1.* §. 2. (f) Lancicius *Tom.* 1. *opuſc. 3. cap. 1. num.* 1. (g) S. Doroth. *ſerm. 2.* (h) S. Climacus, *grad. 16.* (i) Dedicaſtillo. *Diſput.* 1. *de pœnit. dubit. 2. num. 123.* (k) Lugo. *Tract. de pœnit. diſput. 16. Sect. 2. num.* 103. (l) Idem. *in opere diſputat. ſcholaſt. de pœnit. diſp.* 3. *ſect. 1. num. 9.* (m) Perez. *Tract. de pœnit. diſp. 2. cap.* 1. §. 2.

Caput

Caput Octavum.

De VARIIS ET DIVERSIS ACTIBUS PECCATORUM, ET IMPERFECTIONUM IN SPECIE.

§. I.

Catalogus Peccatorum & Imperfectionum, octo verſibus comprehenſus.

I.

MUltos paſſim reperire eſt Catalogos, qui varias Peccatorum, & Imperfectionum ſpecies, & actus, minutim, & quaſi membratim explicant, exenterántque, non ſine fructu illorum, qui provectæ ſunt ætatis, maturíque judicij, & fortè etiam majoribus peccatis implexi. At verò tam aperta, & prolixa narratio peccatorum ætati lubricæ, ſive adoleſcentibus, magnam partem adhuc innocuis, ſæpe non tuta, & ſecura eſt.

II.

II. Placuit igitur, in gratiam illorum paucis verſiculis, ceu brevi compendio, complecti, quidquid peccatorum, & imperfectionum eſt, quibus ea potiſſimùm ætas ſolet, aut certè poteſt eſſe obnoxia.

III. Poterunt illi ſubſidio horum carminum venire in notitiam ſuorum criminum, ſi non graventur legere adjunctam declarationem, quâ breviter in brevi verſiculo dicta, aliquantò prolixiùs explicantur.

IV. Verſus autem ſunt ſequentes.

1. Orando vagus, Irreverens. Sacríque neglector.

2. Impatiens. Oſor. Jurans. Rixator & Ultor.

3. Inflatus, Spernénsque alios, Séque & ſua jactans.

4. Indocilis parere, Suis Rectoribus aſper.

5. Mendax. Detractor. Judex. Turbator amoris.

6. Fur. Retinens aliena. Nocens. & Luſor iniquus.

7. Potator, Nimiúmque vorax. Scurrilis. Amator.

8. Se-

8. Seducens alios. Alieno in crimine conſors.

§. II.

Declaratio primi versûs *Orando vagus. Irreverens. Sacríque neglector.*

I.

HOc primo verſu continentur peccata *Acediæ*, qualia ſunt.

Jactura temporis per ſomnum intempeſtivum & nimium, per otium & inutiles occupationes.

Negligentia in ſtudijs, pensísque ſcholaſticis perſolvendis.

Iners, & languida injuncti officij adminiſtratio.

Abſentia à Schola, Congregatione, Veſperis, Concione.

Omiſſio Auditionis Sacri, die Feſto, aut Feriali.

Neglectus precum, manè & veſperi; ante & poſt menſam; ad pulſum Salutationis Angelicæ, Agoniæ, & Mortis Chriſti.

II.

Digitized by Google

II. Item Omiſſio examinis conſcientiæ; Confeſſionis, & Communionis præſcriptæ: aliorum quoque ſive operum, ſive Orationum, quæ vel ex pia conſuetudine, vel ex debita gratitudine, vel ex voto, aliáve obligatione fieri debent, aut ſolent.

III. Secundò. Eodem primo verſu continentur peccata *Irreligioſitatis*, qualia ſunt.

Voluntaria diſtractio in oratione.

Garrulitas, & irreverentia in templo, in oratorio Congregationis, alióve loco Sacro.

Confeſſio & Communio ſacrilega.

Violatio voti, juratæque promiſſionis.

Rerum Sacrarum abuſus, aut profanatio.

IV. Huc ſpectant, Hæreſis, Dubitatio in fide. Superſtitio. Magia. Odium DEI. Contemptus Sanctorum.

§. III.

Explicatio ſecundi verſûs.

Impatiens. Oſor. Jurans. Rixator, & Vltor.

I.

HOc ſecundo verſu continentur primò, peccata *Iræ, & Odij*, qualia ſunt.

Im-

Impatientia ex reprehenſione, vexatione, humiliatione, ſiniſtro rerum ſucceſſu.

Triſtitia in rebus adverſis.

Puſillanimitas in gerendis negotijs.

Diffidentia in DEUM.

Murmuratio contra eundem.

Deſperatio de miſericordia DEI.

II. Amara item diſplicentia de aliorum defectibus, erroribus, & imprudentijs.

Iracundia, vindictæque cupiditas propter offenſam ſive juſtam, ſive injuſtam.

Aliorum immoderata reprehenſio, correctio, punitio, percuſſio.

Contentio, & rixa.

Averſio animi diuturna; & conſtans odium erga unum, vel plures.

III. Secundò. Eodem ſecundo verſu continentur peccata *Blaſphemiæ*, *Imprecationis*, *Juramenti*, *& Convitij*, qualia ſunt.

Proferre verba contumelioſa, vel injurioſa contra DEUM, vel Sanctos.

Sibi ipſi vel alijs leve, ſeu grave malum imprecari.

DEUM, *ſine judicio*, *juſtitia*, *& veritate* in teſtem vocare.

Alios convitijs, agnominibus, contumelijs laceſſere.

IV. Huc ſpectat irreverens Sacrorum nominum appellatio.

Sacræ Scripturæ traductio ad jocos.

Audax, & inverecunda nominatio earum rerum, à quibus honeſtæ aures, mentéſque ingenuæ abhorrent.

Prolatio verborum, quæ aliquam blaſphemiæ, imprecationis, juramenti, ſeu convitij ſimilitudinem habent.

Omnes denique moleſtæ vexationes, & criſes acerbæ.

Caput Nonum.

EXPLICATIONES TRIUM SEQUENTIUM VERSUUM.

§. I.

Explicatio tertij verſûs.

Inflatus. Spernénſque alios, ſéque, & ſua iactans.

I. Hoc

Digitized by Google

I.

Hoc tertio verſu continentur primò, peccata *Superbiæ*, *&* *vanæ gloriæ*, qualia ſunt.

Cupiditas excellentiæ propriæ, & eminentiæ ſuper alios.

Immoderatum ſtudium placendi hominibus, timórque immodicus eisdem diſplicendi.

Deſiderium & inquiſitio vanæ gloriæ, & humanæ laudis.

Vana complacentia in proprijs rebus, in veſtitu, nobili genere, in ingenio, formâ, dicto, factóque aliquo.

Arrogans inceſſus, ſermo affectatus, nimius ornatus corporis.

Rerum ſuarum, ſuíque deprædicatio.

Jactantia in re mala.

II. Secundò. Eodem tertiò verſu continentur peccata *Ambitionis*, *&* *Invidiæ*, qualia ſunt.

Aperta, vel occulta prenſatio, & inquiſitio dignitatis, aut honoratioris officij, per affectum inordinatum, vel per media illicita.

Digitized by Google

Æquo major exultatio, & lætitia ex honore ſibi delato.

Nimia dejectio animi, mœrórque ex irrogato contemptu.

Pudor propter humilem, & abjectam parentum conditionem, vilitatem veſtium, corporis deformitatem, rerúmque inopiam, & propter alios ſive naturæ, ſive fortunæ defectus.

Dolor ex aliorum proſperitate, honore, felici progreſſu, promotione ad altiora, rerum abundantiâ, favore, & amore hominum,

Gaudium ex aliorum depreſſione, aliáque calamitate, & infelicitate.

III. Huc ſpectant Pertinacia in proprio judicio. Nimia ſui exiſtimatio, & aliorum contemptus.

Immoderati conatus.

Vitioſa ſingularitas.

Exoticus quidam agendi modus à moribus aliorum diſcrepans.

Inutilis altercatio, & facilis contradictio.

Nimia fiducia. Temeritas. Præſumptio.

Cor-

Cordis & oris mutabilitas, nunc ineptè gaudentis in proſperis: mox abjectè dolentis in adverſis.

§. II.

Explicatio quarti verſus.

Indocilis parere. Suis Rectoribus aſper.

I.

HOc quarto verſu continentur primò peccata *Inobedientiæ*, erga Superiores, qualia ſunt.

Omiſſio, aut negligens executio rerum ab ijs injunctarum.

Fraudulenta circumventio Profeſſoris, Pœdagogi, Parentis, Superioris.

Contra eos, qui præſunt, indignatio, murmuratio, contradictio, obſtinatio, rebellio, aliorúmque inſtigatio.

II. Secundò. Eodem verſu quarto continentur peccata *Irreverentiæ* erga majores, qualia ſunt.

Deſpectiones & contumeliæ Parentibus, Superioribus, Sacerdotibus, Senioribus,

ribus, clàm aut palàm, verbo vel facto irrogatæ.

Sannæ item, ſarcaſmi, & ſcommata quibuſcunque hominibus illata.

III. Huc ſpectat petulans irriſio pauperum, bonorum item, & devotioni magis addictorum hominum. Ludificatio deformium, contemptus calamitoſorum, vexatio æqualium, depreſſio inferiorum.

§. III.

Explicatio quinti verſus.

Mendax. Detractor. Judex. Turbator amoris.

I.

HOc quinto verſu continentur primò peccata *Fraudis*, *&* *Fallaciæ*, qualia ſunt.

Mendacium cum damno, vel ſine damno alterius.

Mendax, ſeu deceptoria ſimulatio.

Æquivocatio, & reſtrictio mentalis ſine juſta cauſa.

Falſa ſuſpicio. Temerarium judicium.

II. Secundò. Eodem quinto verſu continen-

tinentur peccata *Detractionis*, & *Suſurrationis*, qualia ſunt.

Murmuratio de aliorum defectibus, vitijs, & peccatis.

Auſcultatio detrahentium, & murmurantium.

Propalatio, ſeu manifeſtatio criminis occulti.

Delatio falſa alterius: aut etiam vera ex odio, & vindicta.

Seminatio diſcordiarum, paciſque perturbatio inter duos, vel plures.

III. Huc ſpectat Hypocriſis, ſeu ſimulata ſanctitas, & probitas. Politicus agendi modus. Revelatio arcani. Paſquillus, ſeu libellus famoſus. Proditio.

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM.
EXPLICATIONES RELIQUORUM TRIUM VERSUUM.

§. I.

Explicatio ſexti verſus.

Fur. Retinens aliena. Nocens. & Luſor iniquus.

I.

HOc ſexto verſu continentur primò, peccata *Avaritiæ*, qualia ſunt.

Nimius amor pecuniæ.

Deſiderium immoderatum luſûs, & lucri.

Divitiarum inſatiabilis cupiditas.

Nimia ſollicitudo in bonis acquirendis. Magna tenacitas in retinendis.

Timor inquietus de amittendis, mœror immodicus de amiſſis.

Solutio creditoribus nimiùm dilata, aut omnino negata.

II.

Digitized by Google

II. Secundò. Eodem ſexto verſu continentur peccata *Injuſtitiæ:* qualia ſunt.

Furtum, Rapina. Injuſta rei alienæ retentio.

Damnificatio. Omiſſio ſatisfactionis pro illato damno.

Fraudes in venditione, emptione, aut alio contractu.

III. Huc ſpectat Affectus illiberalis erga amicos. Animus ingratus erga Benefactores. Manus contracta erga Pauperes. Nimia parcitas erga ſeipſum. Effuſa prodigalitas bonorum. Expenſæ inutiles ſtudioſorum. Officialium & Servorum infidelitas. Luſus prohibiti. Deceptiones in luſu.

§. II.

Explicatio ſeptimi versus.

Potator. Nimiúmque vorax.
Scurrilis. Amator.

I.

HOc ſeptimo verſu continentur primò, peccata *Gulæ*, & *Immodeſtiæ*. qualia ſunt.

Digitized by Google

Exceſſus in potu, præſertim vini, ſine vel cum ebrietate.

Comeſſatio & compotatio, contra & ultra legem temperantiæ, & ſobrietatis.

Nimis avida, & indecora corporis refectio.

Culpabilis inordinatio in quantitate & qualitate, cibi ac potûs.

Comeſtio intempeſtiva, aut loco inconvenienti.

Eſus carnis, diebus prohibitis.

II. Inepta lætitia. Scurrilitas in verbis. Inurbanitas in opere. Ruſticitas in converſatione.

Levitas in moribus. Joci illiberales. Verba Sacra indecenter prolata.

Riſus nimis effuſus. Clamor inconditus. Greſſus inſolens. Geſtus nugaces. Petulans attactus aliorum. Nocturna platearum obambulatio.

III. Secundò. Eodem ſeptimo verſu continentur peccata *ſenſualis amoris, & Luxuriæ*, qualia ſunt. Inordinatus amor erga Pueros, vel Puellas.

Curioſus, & fixus aſpectus formoſarum facierum, præſertim diverſi ſexûs; item minùs

minùs caſtè pictarum, aut ſculptarum imaginum, aliarúmve rerum, quarum intuitus illebroſus, & periculoſus eſt. Blanditiæ amatoriæ.

Negligens fuga occaſionum, & periculorum in hoc genere peccandi.

Negligens reſiſtentia in tentatione carnis. Moroſa delectatio in turpibus phantaſijs, & commotionibus corporis.

Deſiderium libidinoſum, & conſenſus in opus incaſtum.

Sermo, ſeu cantus laſcivus. Complacentia in auditione rerum obſcænarum. Laſcivus ſui, vel alterius aſpectus, attactus.

Oſcula puerorum, vel puellarum ex amore ſenſuali; vel cum delectatione venerea.

IV. Nota, Benevole Lector, præter enumerata hîc peccata, multa adhuc alia eſſe caſtitati contraria, quæ propter Juniores, qui forſitan iſta lecturi ſunt, ſtudio reticentur. Interim tamen, ſi & illa, quæ hîc non exprimuntur, fiant, ea in confeſſione diſtinctè, quoad ſpeciem, & numerum, explicanda ſunt. Qui propria illorum verba ignorat, peccatum exprimat, prout poteſt. Confeſſarius facilè illum intelliget: ſi non intel-

lexe-

lexerit, interrogando juvabit, & ſe, & pœnitentem.

§. III.

Explicatio octavi versûs.

Seducens alios. Alieno in crimine conſors.

I.

HOc octavo verſu continentur peccata *Scandali*, qualia ſunt.

Dare alteri malum conſilium ad committendum peccatum.

Jubere alterum aliquid mali agere, vel boni omittere.

Conſentire, & tacitè ſuffragari alterius malitiæ.

Scienter dicto, aut facto alium provocare ad iram, blaſphemiam, crudelitatem, laſciviam, ebrietatem, & alia ejusmodi.

II. Item aliquem in malefactis vel de improbitate commendare, eíque, tanquam de re bene geſtâ, ſtimulos addere, ut in pravo inſtituto pergat.

Contra obligationem charitatis, vel juſti-

ſtiæ,

tiæ, reticere alienam culpam. Et alios, cùm expediret, atque oporteret, non docere, monere, corrigere.

III. Item, Peccantes non corripere, caſtigare, quando id ex officio, ſeu lege charitatis facere quis tenetur. Venire in partem lucri cum furibus, & raptoribus.

Bona aliena injuſtè parta ſcienter retinere, & ex alienis ſpolijs diteſcere.

Malis patrocinari, perverſam aliorum doctrinam tueri, eósque, cùm malefecerint, defendere.

Caput Undecimum.

De QUALITATE, SIVE DE GRAVITATE, AUT LEVITATE PRÆDICTORUM PECCATORUM.

§. I.

De qualitate peccatorum Acediæ, & Irreligioſitatis.

I.

PEccata, ſeu vitia jam recenſita, nec omnia ſunt mortalia, nec omnia venialia: ſed

ſed quædam mortalem, & quædam venialem malitiam continent: imò aliqua non niſi cenſui moralium imperfectionum, quæ propriè peccata non ſunt, annumerantur.

II. Hæc autem diverſitas peccatorum, & imperfectionum deſumi debet partim ex natura ſingulorum, virtutúmque oppoſitione: partim ex judicio hominum, & auctoritate doctorum virorum, & ex libris ab his conſcriptis. Et his fundamentis, ea quoque, quæ in ſequentibus tradetur Capitibus & Paragraphis, doctrina noſtra innixa eſt.

III. Peccata *Acediæ* tunc ſunt *mortalia*, quando ea negliguntur, quæ ſub gravi, & lethali culpa præcepta ſunt: *Venialia*, cùm ea omittuntur, quæ non niſi ſub veniali noxa obligant. *Imperfectiones* autem abſque peccato, ſunt talium omiſſiones rerum, quæ tantùm de conſilio ſunt, & non præcepto: quæque perfectioni virtutis, non autem ipſi virtuti repugnant.

IV. Peccata *Irreligioſitatis*, ex naturâ ſua, atque ut plurimùm ſunt mortalia. Poſſunt tamen eſſe, & ſæpe etiam fiunt venialia, ſive ex imperfecta deliberatione, ſive ex parvitate materiæ.

V. Unde

V. Unde colligis, inter peccata, quæ ſuperiùs enumerata ſunt, mortalia eſſe iſta: Neglectum ſacri die feſto. Omiſſionem rei voto ſancitæ, ſi gravis ſit. Sacrilegium in Confeſſione, & Communione commiſſum. Hæreſin. Dubitationem in fide. Superſtitionem. Magiam. Odium Dei. Contemptum Sanctorum. Inhonorationem rerum ſacrarum.

VI. Reliqua venialia tantùm ſunt, vel defectus, qui, licèt peccata non ſint, raro tamen abſque culpa committi ſolent.

§. II.

De Qualitate peccatorum Iræ, odii, blaſphemiæ imprecationis, iuramenti, & convitii.

I.

PEccata, *Iræ & odij*, tunc ſolùm mortalem in ſe malitiam continent, quando quis animo deliberato grave malum alteri vel optat, vel infert. Deſperatio de miſericordia DEI: gravis item murmuratio contra DEUM, peccata ſunt mortalia: quibus adde Perjurium, & Blaſphemiam, ſi verè talis ſit.

II.

Digitized by Google

II. Reliqua verò peccata ſuperiùs enarrata, ſunt venialia tantùm: v. g. ordinariæ imprecationes, & juramenta non falſa.

III. Vulgus iſta quatuor confundere ſolet, Convitium, Juramentum, Imprecationem, & Blaſphemiam. Schelten. Schwören. Fluchen. Läſtern. Quæ tamen differunt inter ſe, ac ſpecie diſtinguuntur.

IV. *Convitium* eſt ſermo alteri probroſus, ut, ſi quem *furem*, aut *ſtultum* compelles.

V. Juramentùm eſt invocatio DEI in confirmationem alicujus rei veræ, vel falſæ. Ut, ſi dicas: *Per DEUM, per animam meam, hoc ita ſe habet.*

VI. *Imprecatio* eſt maledictio quædam ſibi, vel alteri facta. Ut, ſiquis dicat: *Me Dæmon hinc auferat. Te fulmen percutiat.*

VII. *Blaſphemia* eſt verbum, DEO vel Sanctis ignominioſum. Ut, ſi quis DEUM *injuſtum, mendacem* aſſerat: mille Sacramenta juret.

VIII. Omnia convitia (ex probabili ſententia) ſunt ejusdem ſpeciei, unde ſatìs eſt, ſi in confeſſione dicas: *Alteri convitia dixi, ſive, agnomina dedi*: qualia autem

hæc

hæc fuerint convitia, & agnomina, non eſt opus in particulari recenſere.

IX. Hoc idem de Juramentis, & Imprecationibus intelligere potes. Unde neceſſe non eſt, Catalagos, neſcio, quàm longos Juramentorum, & Imprecationum in Confeſſionem afferre.

X. Qui in ira contra hominem vel jumentum ſacra verba, falſitatem non continentia, profert (v. g Sacrament. Gotts-chriſam) propriè non blaſphemat, ſed peccat contra ſecundum præceptum Decalogi: *Non uſurpabis nomen DEI tui fruſtra.* (*a*) &, juxta probabilem ſententiam, venialiter tantùm.

XI. Neque illi peccati mortalis damnati debent, qui joco, aut ſeriò, verba juramentis & blaſphemijs ſimilia proferunt; qui item verba Scripturæ, citra formalem contemptum, ad jocos traducunt.

§. III.

De qualitate peccatorum ſuperbiæ, inobedientiæ, & invidiæ.

I.

IN peccatis *Superbiæ*, quantumvis ſit ex-

cedens deſiderium honoris, famæ, gloriæ, excellentiæ propriæ, vix unquam venitur ad peccatum mortale.

II. Inobedientiæ ſtudioſorum plerumque ſunt tantùm venialia peccata. Si tamen accedat gravis contemptus Superiorum, peccatur mortaliter.

III. Contemptûs & irreverentiæ gravitas, vel levitas deſumenda potiſſimùm eſt, à qualitate perſonæ, tum ejus, quæ contemnit; tum illius, quæ contemnitur. Ex hujus enim vel illius dignitate aut vilitate creſcit, vel decreſcit malitia contemptûs, & irreverentiæ.

IV. Jactantia de opere mortaliter malo peccatum eſt mortale, & quidem illius ſpeciei, cujus id peccatum eſt, de quo quis ſe jactat. Unde in confeſſione illud peccatum mortale exprimi debet, de quo quis gloriatus eſt.

V. Peccata *Invidiæ* tunc ſunt mortaliter mala, quando deſiderium adeſt gravis mali; aut quando grave malum infertur; aut quando media adhibentur mortaliter illicita ad alium deprimendum. Oritur autem obligatio ex ijs, reſtituendi aut ſatisfaciendi, ſi injuria vel injuſtitia fuit adjuncta.

VI.

Digitized by Google

VI. Triſtitia de bono alterius, in quantum ex eo tibi vel alijs times nocumentum, non eſt *Invidia*, ſed rationabilis, & per ſe inculpabilis timor. Ut, ſi doleres, inimicum tuum evectum eſſe ad officium, in quo tibi, vel alijs poſſit nocere. Per accidens timor iſte fieri poteſt culpabilis, ſi nempe nimius ſit, & inordinatus.

VII. Triſtitia ex eo orta, quòd nobis deſit bonum, quod alter habet, ita tamen, ut nolimus alterum eo carere, non eſt *Invidia*, ſed æmulatio, ſeu zelus, quandoque etiam laudabilis: ſi nimirum verſetur circa bonum honeſtum. Ita rectè dolet aliquis, quòd careat illis virtutibus, quas in alijs animadvertit.

VIII. Tunc propriè dicta *Invidia* eſt, quando ideo doles, quòd alter, tibi æqualis, vel non multùm inæqualis, creſcat in excellentia, ita ut te fiat ſuperior, & ipſum incrementum excellentiæ illius apprehendas, ut tibi malum.

IX. Invidia, ſi non adſit deſiderium gravis mali, aut aliud quid æquivalens, non eſt peccatum mortale: & multò minùs æmulatio illa, quâ quis optat, eſſe vel videri plùs,

 quàm

quàm alter, modò non adhibeat media mortaliter illicita, ad alium deprimendum.

Caput Duodecimum.

De QUALITATE, SEU GRAVITATE RELIQUORUM PECCATORUM.

§. I.

De qualitate peccatorum Avaritiæ, & Iniuſtitiæ.

I.

FUrtum, rapina, damnificatio, injuſta retentio, omiſſio ſatisfactionis, mortale peccatum conſtituunt, ſi quantitas injuſtè ablata, vel retenta ſit magna & notabilis; damnum item illatum, & non reparatum ſit notabiliter magnum: v. g. quod floreno, talero, vel dugato æſtimari poteſt. Venialia verò peccata ſunt, ſi minor ſumma, ſeu quantitas ſit.

II. Deceptio, proditio ſecreti, detractio, falſa delatio, ſuſurratio, &c. tunc ſunt peccata

cata mortalia, quando grave damnum inde emergit, ídque præviſum, vel etiam intentum.

III. Ut horum peccatorum gravitas aut levitas in confeſſione meliùs appareat, innoteſcátque Confeſſario, bene prudentérque fit, ſi illa dicantur cum addito, ſeu limitatione aliqua: v.g. *Mentitus ſum, ſine damno alterius. Furatus ſum tres baceos; rē valentem circiter decem crucigeros. Ludendo chartis alium in modica re defraudavi.*

IV. Quodſi autem furtum, ſeu damnum fuit grave, ſimiliter exprimi debet. Sapienter ages, ſi inſuper adjungas, te velle reſtituere, aut ſatisfacere pro damno. Aliàs hoc ipſum Confeſſarius debebit admonere.

V. Mendacium ex genere ſuo peccatum eſt veniale: fieri poteſt mortale ratione damni vel præviſi, vel etiam intenti. Sic quælibet fallacia, ſeu dolus in verbis, per ſe venialis tantùm eſt; ſed poteſt fieri mortalis ratione finis, vel mediorum. Fraus ſive dolus in facto, eſt mortalis ex genere ſuo: per accidens venialis ex parvitate materiæ.

VI. Judicium temerarium, cum plena

Digitized by Google

advertentia, de gravi malo proximi, communiter eſt mortale contra juſtitiam. Suſpicio temeraria ex genere ſuo videtur eſſe peccatum tantùm veniale; maximè ſi procedit ex errore intellectûs, quo indicia, ut ſufficientia, apprehenduntur.

VII. Judicium, & ſuſpicio genericè ſumpta hoc modo differunt inter ſe. *Judicium* eſt firma animi ſententia ſeu aſſenſus indubitatus. *Suſpicio*, eſt aſſenſus tenuis, ſeu inchoatus, quo quis inclinat in unam partem, judicans probabiliter, latere aliquod fundamentum opinandi.

§. II.

De qualitate peccatorum Gulæ, & Luxuriæ.

I.

IN peccatis *Gulæ*, tunc ſolùm peccatur mortaliter, quando jejunium, aut abſtinentia à carne ſub gravi peccato præcepta frangitur; vel per ebrietatem ratio plenè ſopitur; vel grave damnum corporali ſanitati infertur.

II. Ebrietas non ex vomitu, ſed ex plena ra-

ra rationis obfuſcatione, eáque prævisâ cognoſci debet.

III. Reliqui exceſſus, & inordinationes in cibo & potu: uti & morum levitas, ſcurrilitas, & inurbanitas, peccata ſunt venialia ſolùm.

IV. Nimia valetudinis cura vel neglectus, malitiam peccati venialis ut plurimùm non excedunt. Poteſt autem fieri, ut per utrumque aliquid fiat vel omittatur, ſub gravi peccato prohibitum, ſeu præceptum: quo caſu peccabitur in genere gulæ, vel alterius peccati graviter.

V. In genere *Luxuriæ*, nullum omnino peccatum committitur, ſi contra voluntatem, & citra conſenſum, oriantur cogitationes incaſtæ in animo, commotiones & delectationes in carne; quantumvis hæ & illæ turpes, vehementes, ac diuturnæ ſint.

VI. Si verò his accedat deliberata voluntas, & plenus conſenſus, tunc ſemper committitur peccatum mortale, quantumvis materia ſit levis, & mora brevis, quâ delectatio impura quæritur, vel admittitur. Sæpe tamen à peccato mortali excu-

Digitized by Google

ſat inſufficiens deliberatio, conſenſúſque imperfectus.

VII. Delectatio moroſa, & deſiderium incaſtum diſtinguuntur inter ſe, debéntque adeo ſeparatim in confeſſione exprimi. *Delectatio moroſa* eſt voluptas, percepta ex recordatione & imaginatione rerum laſcivarum, carníſve commotione, ac titillatione, abſque deſiderio illius rei, quam cogitat, & ſibi imaginatur, exequendæ. *Deſiderium incaſtum*, eſt voluntas (efficax, vel inefficax) peccandi carnaliter hoc vel illo modo, cum tali aut tali perſona.

VIII. Voluntas *efficax* peccandi (prout hîc accipitur) eſt, quando quis deſiderat peccare, ita ut ſtatuat, hoc, quod vult, exequi; ac proinde media, & occaſionem inquirat. Voluntas verò *inefficax* peccandi eſt, quando aliquis vellet quidem peccare, quantùm in ſe eſt, ſed quia nulla adeſt poſſibilitas, deéſtque occaſio, timetur infamia, aut alia obſtat cauſa, ideo opus non ſtatuit exequi, neque media exequendi indagat.

IX. Non eſt opus in confeſſione dicere, an deſiderium peccandi fuerit efficax, vel inefficax, modò fatearis, te habuiſſe deſide-

rium

Digitized by Google

rium peccandi cum ſoluta, ligata, conſanguinea, DEO ſacrata, vel cum alio ejusdem ſexûs.

X. Hanc circumſtantiam perſonæ in delectatione moroſa, juxta probabilem ſententiam, non eſt neceſſe exprimere in confeſſione.

XI. Amor ſenſualis, quæque ex illo fiunt, ordinariè malitiam peccati venialis non excedunt. Facilè autem fieri poteſt, ut amor ſenſualis degeneret in libidinoſum: & tunc ejus actus, perinde ac alia laſciviæ peccata, fient mortalia.

§. III.

De qualitate peccatorum ſcandali, & peccatorum alienorum.

I.

S*Candalum* eſt dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis. Hujus quædam ſpecies ſunt *peccata aliena*, quæ ideo vocantur *aliena*, quia, licèt committantur ab alijs, nobis tamen propter cooperationem noſtram imputantur.

II. Circa Actus ſcandali ſuperiùs enumeratos Notandum eſt *primò*, eos tunc eſſe peccata *mortalia*, quando ſunt cauſa peccati mortalis; *venialia*, ſi venialis.

III. *Secundò* notandum, in confeſſione exprimendam eſſe ſpeciem peccati mortalis, ad quod alter per ſcandalum inductus eſt. Et inſuper exprimendum numerum perſonarum, quibus cauſa periculi, ſeu lapsûs fuit.

IV. *Tertiò* notandum, ad peccatum ſcandali ſufficere, ſi aliquis prævideat alterius periculum, ſeu lapſum, etiamſi illum directè non intendat.

V. *Quartò* notandum, non eſſe ſemper peccatum ſcandali, ſi quis coram alio delinquat; ſed tunc ſolùm, quando probabile periculum cognoſcitur, alterum inducendi in ſimile, vel aliud peccatum.

VI. *Quintò* notandum, propriè item peccatum ſcandali non eſſe, quamvis vulgus putet, ſi ex propalatione occulti peccati tui nihil aliud oriatur, quàm admiratio hominum, quibus, cùm antea bonus viſus es, jam alius appares. Hac enim in re non errant; neque peccant, dum talem te

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, vel fuiſſe rationabiliter judicant, qualis reipſa es, vel qualem te fuiſſe, facto tuo demonſtrâſti.

VII. Sextò notandum, te, ſi conſors aut complex fuiſti peccati alterius contra juſtitiam commiſſi, v. g. furti, aut damnificationis, præter culpam, quam commiſiſti, incurriſſe inſuper obligationem reſtituendi, vel ſatisfaciendi, juxta proportionem illatæ injuriæ, tuæq́ue cooperationis.

VIII. *Septimò* notandum, pœnitenti cavendum eſſe, dum ſua delicta in confeſſione narrat; ne alterius conſortis, & complicis peccata prodat: non enim licet ulli alteri detrahere, etiam in confeſſionali.

IX. Quare nunquam perſona illa nominanda eſt, quæ peccati quocunque modo particeps fuit, neque ita deſcribenda, ut Confeſſarius in notitiam illius pervenire queat.

X. Si verò id evitare non poſſis, bene prudentérque ages, ſi ad alium accedas Confeſſarium, cui citra revelationem illius perſonæ peccata tua valeas confiteri.

MON-

MONTIS MYRRHÆ
PARS SECVNDA
In qua
AFFERUNTUR RATIONES & cauſæ, eliciendi dolorem de peccatis, & imperfectionibus.

PROOEMIVM
Secundæ Partis
MONTIS MYRRHÆ
DE
LACHRIMA MYRRHÆ, ſive de ipſa myrrha, comparatâ cum Sacramento Pœnitentiæ.

I.

MYrrha, ſeu *lachrima myrrhæ* profluens ex arbore myrrhæ, tres potiſſimùm qualitates, ſeu proprietates habet. *Prima* eſt,

Digitized by Google

eſt, amaritudo: amara etenim eſt, ſuúmque ab amaritudine nomen traxit. *Secunda* eſt fragrantia, ſeu ſuaveolentia, ut quæ, *ſicut cinnamomum, & balſamum aromatitans dat ſuavitatem odoris.* (*a*)

II. *Tertia* qualitas, ſeu proprietas myrrhæ eſt vis ac virtus medicinalis. Ea námque corpora mortua ſervat à corruptione illæſa; viva autem liberat à putridis, venenatis, & contagioſis morbis: fœtentem item halitum, ſeu mephitim è ventriculo malè clauſo evaporantem reprimit, atque emendat: ſuo etiam ſuavi odore cor hominis recreat, cerebrum confortat, ſpiritus vitales, animaléſque excitat, vivaciores, ac vegetiores reddit.

Applicatio primæ qualitatis.

III. Has ipſas *myrrhæ naturalis* qualitates, & proprietates habet *myrrha pœnitentialis*: ſed modo quodam altiore, atque eminentiore. Et verò pœnitentiam ex natura ſua *amaram*, & doloriferam eſſe, nemo eſt, qui ignoret. Verùm amaritudinem iſtam, etſi amara ſit, eſſe tamen amabilem, & amore dignam, nôrunt omnes, qui

qui hanc myrrhæ dulcem amaritudinem deguſtârunt.

IV. Expertus hoc eſt Rex Ezechias, qui poſt verba illa: *Recogitabo tibi omnes annos in amaritudine animæ meæ*, ſtatim ſubjunxit: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Et quare, ô Rex, amaritudo tua amariſſima eſt in pace, tibi non amara, ſed dulcis? Ideo (ait ille) quia *eruiſti, ô DEUS, animam meam, ut non periret: projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.* (*b*)

Applicatio ſecundæ qualitatis.

V. Pœnitentiam *Odoriferam* eſſe, conſtat ex eo, quòd cor pœnitens Sacrificium quoddam ſit, & holocauſtum in conſpectu DEI, ſuaviſſimum exhalans odorem, juxta illud, quod DEUS ipſe dixit: *Offeretis holocauſtum in odorem ſuavitatis Domino:* (*c*) *odor ſuaviſſimus victima Domino.* (*d*)

VI. Certè Magdalena pœnitens, quando fudit lachrimas ex oculis, & pretioſum unguentum ex fracto alabaſtro, totam ſuaviſſimo odore replevit domum. (*e*)

VII. Pœnitentia malos mores convertit

tit in bonos; ignominiam, in bonam famam; fœtorem ſcandali, in odorem boni exempli. Unde fit, ut, qui priùs in ſuis peccatis ſepultus, quatriduani inſtar Lazari, fœtebat; mundatus poſtea à ſordibus ſuis, & ſuaveolente virtutum amictu indutus, miram de ſe ſpargat odoris fragrantiam, ita ut ipſe, & alij ſimiles ipſi, in veritate dicere queant: *Nos Chriſti bonus odor ſumus; odor vitæ in vitam.* (*f*)

Applicatio tertiæ qualitatis.

VIII. Eadem pœnitentia, æquè ac myrrha, vi ac *virtute medicinali* pollet: hoc tamen diſcrimine, quòd iſta corpora tantùm; illa verò & animas ſanare, & à qualibet corruptela liberare valeat.

De tribus animæ morbis per pœnitentialem myrrham curandis.

IX. Anima hominis, tametſi immortalis exiſtat, ſuis tamen morbis, infirmitatibus, & languoribus obnoxia eſt. Et primò quidem maximus animæ morbus eſt, ipſa mors animæ, à *mortifero* illata *peccato*, per quod ea privatur gratiâ DEI, & cha-

& charitate, quæ vita, atque anima animæ eſt.

X. Altera animæ infirmitas eſt, ac dicitur *culpa venialis*, quæ, licèt eam vitâ ſuâ, hoc eſt, gratiâ, & charitate DEI non privet, ejus tamen amittendæ illam in periculo ponit, atque adeo facilem ad ipſam mortem ſternit viam.

XI. Tertia ægritudo animæ eſt, torpor quidam, & languor ſpiritûs, qui noto, vulgatóque nomine *moralis imperfectio* nuncupatur. Hæc etiamſi propriè morbus, ſeu peccatum non ſit, malignos tamen producit effectus, & inter hos ipſum etiam peccatum, tam veniale, quàm mortale; ſcandalum item, & malum exemplum, quod, teſte Apoſtolo, eſt *Odor mortis in mortem.* (g)

De tribus trium prædictorum morborum medelis ex Sacramento pœnitentiæ deſumptis.

XII. Tribus hiſce animæ morbis ac corruptelis *pænitentialis myrrha* medicinam adhibet, amaram quidem, & inſipidam, ſed admodum ſalutarem, ſanitatíque reſtituendæ

tuendæ perquam idoneam. Animæ enim pœnitenti Sacramentum pœnitentiæ medicatam potionem præparat, & propinat, confectam ex lachrimis peccatoris, cum felle & aceto Chriſti permixtis, quam notiore nomenclatione, *compunctionem cordis, dolorem de peccatis, Contritionem, & Attritionem* ſolemus appellare.

Medela primi morbi animæ, qui eſt peccatum mortale.

XIII. Poculum ſeu pharmacum iſtud miram ſanandi vim habet, & ſtupendos in animis hominum operatur effectus. Nam *primò*, peccatores cohibet, ne magis peccent, & plus peccando ſordeſcant ampliùs, & denique *computreſcant, ſicut jumenta, in ſordibus ſuis.* (g) Imò, quod naturalis myrrha in corporibus præſtare nequit, hoc myrrha pœnitentialis in animabus efficere valet. Ea námque animas peccato mortali interemptas denuo reſuſcitat, revocátque ad vitam, charitatem eis, & gratiam DEI reſtituendo, quæ, ſicut dictum, vita & anima animæ eſt.

Medela ſecundi morbi animæ, qui eſt peccatum veniale.

XIV, *Secundò.* Eadem medicina, ſeu potio medicata, venenatis & contagioſis animæ morbis medetur; liberando eam à culpis venialibus, quæ, cùm malignantis ſint naturæ, niſi maturè atque in tempore curentur, facilè virus ſuum, ſicut coluber & regulus, diffundunt, & animam gravioribus inficiunt noxis, infectámque miſerabili perimunt nece.

Medela tertij morbi animæ, qui eſt moralis imperfectio.

XV. *Tertiò* Eadem pœnitentialis myrrha, ſuaveolente ſuâ fragrantiâ, fœtentem animæ halitum corrigit, atque emendat. Per halitum fœtentem, moralem intellige *imperfectionem*. Quemadmodum enim halitus fœtens propriè morbus non eſt, ſed vel index præſentis morbi, vel prodromus futuri; ita moralis imperfectio propriè peccatum non eſt, ſed peccati vel jam exiſtentis effectus; vel brevì futuri cauſa. *Imperfectio moralis* fœtorem habet, quia plerumque

rumque alijs malum exemplum præbet, & hic fœtor emendatione vitæ, & bono virtutis odore perfectè curatur, & emendatur. Pœnitentiæ item ſive virtus, ſive Sacramentum, ſpiritum torpentem & languentem excitat, vires reſtaurat, animum exhilarat, hominémque alacrem reddit ac vegetum in ſervitio DEI.

Confirmatio dictorum ex S. Auguſtino, & S. Chryſoſtomo.

XVI. Prooemium claudo, & ſimul dicta confirmo duabus duorum Eccleſiæ Doctorum ſententijs, ad propoſitum argumenti noſtri perquam idoneis, S. Auguſtini ſcilicet & S. Chryſoſtomi. *Prior* ſic ait: Pœnitentia morbos curat, lepróſos ſanat, mortuos reſuſcitat, vitia deſtruit, virtutes acquirit, ſpiritum corroborat, ſanitatem auget, vires conſervat; claudis greſſum, aridis copiam, cæcis reſtituit viſum; temperat ſucceſſus, conſtringit impetus, moderatur exceſſus; reſpuit avaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit invidiam. (*h*)

XVII. *Poſterior* ita loquitur. O pœnitentia, quibus encomijs laudes tuas potero celebrare? Tu peccatum, miſerante DEO, remittis, paradiſum reſeras, contritum ſanas, triſtem exhilaras, vitam revocas, das fiduciam, reformas vires, gratiam reſtauras, honorem renovas; omnia ligata tu ſolvis; omnia ſoluta tu reſeras; omnia adverſa tu mitigas; omnia contrita tu ſanas, omnia tu lucidas, omnia deſperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, ſplendidior ſole, quam non vincit peccatum, non defectio ſuperat, non deſperatio delet! O pœnitentia, miſericordiæ mater, & magiſtra virtutum! magna ſunt opera tua, quibus nos ſolvis, & reſicis delinquentes, lapſos relevas, recreas deſperatos! (i)

Annotatio, & præmonitio.

XVIII. Circa nomen *reatûs*, quod in ſequentibus non tantùm peccato mortali, & veniali, ſed etiam morali imperfectioni attribuetur, notet *benevolus Lector*, quòd, ſicut communiter Theologi docent, ex peccato mortali & veniali reſultare reatum

culpæ,

culpæ & pœnæ, ſic accipiendo *reatum* in ſenſu latiore, deinceps locuturi ſimus de triplici *reatu* culpæ mortalis, culpæ venialis, & moralis imperfectionis, ut poſſint magìs explicari damna, quæ ſolent ſequi, non ſolùm ex culpa mortali & veniali, ſed etiam ex morali imperfectione.

CITATIONES.

(a) Eccli. 24.20. (b) Iſai. 38. 15. (c) Levit. 2. 2. (d) Exod. 25. 18. (f) 2. Cor. 2. 15. (g) Joël. 1. 17. (h) S. Auguſt. *de vera pœnit. cap.* 1. (i) S. Chryſ. *de pœnit. cap. 1.*

Caput Primum.

De
PRIMA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE REATU PECCATI MORTALIS, VENIALIS, ET MORALIS IMPERFECTIONIS.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, proveniente ex dignitate perſonæ offenſæ.

I.

PEccatum mortale offendit DEUM infinitè bonum. Sic enim ſcripum eſt: *Exacerbavit Dominum peccator.* (*a*) Item: *Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt ſpiritum ejus: & converſus eſt eis in inimicum.* (*b*)

II. Perpende, quis ille ſit, qui offendit; & quis ille, qui offenditur. Qui DEUM offendit, homo eſt: & quem homo offendit, DEUS eſt. Quis autem DEUS? &, quis

Digitized by Google

quis homo? Homo in comparatione DEI, vilior eſt minimo terræ vermiculo reſpectu totius univerſi. Et DEUS in comparatione hominis major eſt omni excogitabili mole, reſpectu unius guttæ roris antelucani. Imò, cùm DEUS ſit infinitus, non item homo, hujus ad illum nulla omnino poteſt eſſe comparatio.

III. Spectatâ igitur vilitate hominis, qui DEUM offendit; & dignitate DEI, qui ab homine offenditur, quodlibet peccatum mortale malitiam aliquo modo contrahit infinitam, quam neque merita Angelorum, neque opera Sanctorum, neque ſupplicia damnatorum, ſufficienter unquam eluere poſſunt.

IV. Quam proinde ſolus ille abolere potuit, ac debuit, qui dignitatis fuit infinitæ, nimirum Chriſtus JESUS, Dominus & DEUS noſter, qui, cùm in forma DEI eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, ut in forma ſervi, nos ſervos ſuos à debito, quod ipſi ſolvendo non eramus, ſua morte liberaret. O quanta, & qualis malitia peccati, quæ redimi debuit ipſius Sanguine ac Morte Chriſti!

Digitized by Google

V. Pro certo habe, atque indubitanter crede, tantam eſſe lethalis noxæ malitiam, ut, ſi omnes Angeli & homines à condito orbe terrarum nihil aliud egiſſent, agerent, atque eſſent acturi in æternum, quàm unam unius peccati mortalis gravitatem per intellectum ſcrutari, ac deteſtari per affectum, eam nullo unquam tempore potuiſſent, poſſéntque aut plenitudine cogitationis exhaurire, aut magnitudine doloris adæquare.

VI. O quanta igitur, DEUM immortalem, hominum cæcitas eſt, qui rem adeo grandem tam parvi pendunt, tam parùm ſentiunt, tam temerè perpetrant, tam modicè deplorant!

§. II.

De malitia peccati venialis, proveniente ex eadem dignitate perſonæ offenſæ.

I.

PEccatum veniale offendit DEUM infinitè bonum, atque adeo malitiam quandam contrahit infinitam, quæ tamen infe-

inferioris eſt ordinis, quàm ea, quæ reperitur in peccato mortali.

II. Et hoc, teſte Nicolao Lancicio, volebat olim S. Ignatius ſuos accuratiùs expendere, *ut gravitatem peccati venialis expenderent, ex magnitudine objecti, quod, cùm ſit infinitum, culpam quamlibet aggravat in immenſum, uſque adeo, ut pro minimo peccato veniali nulla creatura ſive angelica, ſive humana poſſit plenè perfectéque ſatisfacere, præter unum Chriſtum.* (c)

III. Hic enim, cùm DEUS ſit, & Homo, & conſequenter dignitatis infinitæ, etiam opera, meritáque habet valoris infiniti, quæ malitiam infinitam, infinitorum quoque, ſi darentur, peccatorum ad plenum expiare poſſunt.

IV. Ex quo ſequitur, neque ipſam Matrem DEI, neque ullum alium hominem, ſive Angelum, imò neque omnes omnino homines, & Angelos ſimul ſumptos poſſe pro uno peccato veniali, de condigno (uti loquuntur in ſcholis) ſatisfacere, licèt omnia ſua merita conijcerent in unum cumulum; Deóque pro illius expiatione pec-

cati offerrent, ſi ponamus illa merita ſejuncta eſſe à meritis Chriſti. Tanta ineſt peccatis etiam illis, quæ nos *levia* vocamus, gravitas malitiæ, támque inexpiabilis reatus culpæ.

V. Et hoc eſt, quod DEUS Pater S. Catharinæ Senenſi dixit: *An ignoras, Filia mea, quòd omnes pœnæ, quas anima ſuſtinet, vel ſuſtinere poteſt, nullo modo condignæ ſint ad culpam etiam minimam expiandam: quoniam offenſa, quæ mihi fit, qui ſum bonum infinitum, procul dubio exigit ſatisfactionem infinitam.* (d)

VI. Hoc idem B. Catharina Genuenſis à Spiritu Sancto edocta confirmat his verbis. *Quid, putas, præſtarem, quantíve facerem, etiamſi tot ſanguineas lachrimas profunderem, quot maris ſunt guttæ, ut ſatisfacerem pro peccatis meis? arbitraris, pro peccato minimo ſatisfacerem? Nequaquam. Nam ſi tantum paterer, atque tamdiu, quantum ipſe diabolus; ad hæc ſi tot cruciatus & martyria in hoc tempore ſuſtinerem, quot mente comprehendi poſſunt, non crediderim amorem poſſe hæc apud DEUM ſignificationis loco ducere, neque*

quę invenire vocabulum huic negotio congruum. (e)

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, fundato in eadem ratione & cauſa.

I.

MOralis Imperfectio diſplicet, aut certè non placet DEO infinitè bono. Quemadmodum enim ſervus aliquis non plenè ſatisfacit, nec valde placet Domino ſuo, qui juſſa ejus non quidem violat, ſed negligenter obſervat; ſic quivis homo rem non adeo gratam, & delectabilem præſtat DEO ſuo, qui placita ejus, non quidem omittit, ſed oſcitanter facit.

II. Et hoc videtur innuiſſe Rex Salomon dicendo: *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis; ſic piger his, qui miſerunt eum.* (f) Chriſtus item, per hæc verba: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus. Quod debuimus facere, fecimus,* (g) integrè nimirum, quoad

quoad ſubſtantiam ; non autem perfectè, quoad modum ; neque enim gloriari poteſt homo, quaſi magnum quid præſtiterit DEO, ſi ſola adſit operatio, & debita deſit operi perfectio.

III. Unde quidam ait: *Sine charitate opus externum nihil prodeſt, quidquid autem ex charitate* (ex liberali, & ſpontaneo affectu) *agitur, quantumcunque etiam parvum ſit, & deſpectum, totum fructuoſum efficitur. Magìs ſiquidem DEUS penſat, ex quanto quis agit, quàm quantum quis facit, qui rem bene facit.* (*h*)

IV. Dicebant olim Judæi Domino Deo: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?* Et his reſponſum eſt ab eo: *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra*, voluntas nimirum tepida, defectibus & imperfectionibus plena. *Nunquid tale jejunium eſt, quod elegi?* (*i*)

V. Sicut DEUS rectus eſt, & perfectus, omníſque operatio ejus recta eſt & perfecta, ſic & eos, qui DEO ſerviunt, rectos eſſe, perfectéque operari oportet: hoc enim & ſumma DEI perfectio, & ſumma ſub-

ſubjectio, & ſumma, quam illi debemus, dilectio exigit.

VI. Si pictor, aut ſculptor aliquis rudem tabulam, vel ſtatuam impolitam formet, meretur veniam, & congruam mercedem accipit, ſi tabula, vel ſtatua illa ſpectet ad hominem ignobilem, ruſticum, vel civem. At verò ſi tale opus rudi arte, levíque brachio faciat pro Principe, Rege, vel Imperatore, reprehenſionem pro laude, diſplicentiam pro complacentia feret, & neſcio quâ remuneratione, quo præmio, & mercede dignus reputabitur.

VII. Et tamen quid eſt Princeps, quid Rex, quid dignitas Cæſaris reſpectu DEI, ſupremi, ac ſummi Numinis? Nihil aliud, quàm pulex unus, homuncio vilis, gleba terræ ignobilis. Hæc cogita, obſecro, atque audi, quid dicat DEUS: *Maledictus ille, qui facit opus DEI negligenter.* (*k*)

CITATIONES.

(a) Pſalm. 10. 4. (b) Iſai. 63. 10. (c) S. Ignatius *apud Lancicium. Opuſc. 16. cap. 3. num. 28.* (d) S. Catharin. Senenſis *cap. 2. Dialog.* (e) B. Catharina Genuens. *in vita cap. 39.* (f) Prov. 10. 26. (g) Luc. 17. 10. (h) Thom. Kemp. *lib. 1. de imit. Chriſti cap. 25.* (i) Iſai. 58. 3. (k) Jerem. 4. 10.

Ca-

CAPUT SECUNDUM.

De SECUNDA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE PRÆDICTO TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis propter ingratitudinem illius, qui tali noxâ ſe obſtringit.

I.

PEccatum mortale ſumma eſt ingratitudo erga DEUM, & erga Chriſtum. Sic enim ſcriptum eſt: *Generatio prava, atque perverſa, hæccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens? Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creavit te?* (a) Item: *Audite Cæli, & auribus percipe terra: quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* (b)

II. Et ſanè quæ major poſſet eſſe ingratitudo,

titudo, quàm ſummum Benefactorem voluntario offendere peccato? Quæ major iniquitas, quàm DEO pro beneficijs rependere injurias? Ecce DEUS tuus in charitate perpetua dilexit te, &, antequam eſſes, recordatus eſt tui, ut te crearet in tempore, téque bearet in æternitate. Tu verò projeciſti poſt dorſum tuum legem Domini, oblitus omnium miſerationum ejus, reddénsque malum pro bono, odium pro dilectione, crudelitatem pro charitate.

III. Nunquid non ipſe creavit te, & conſervavit te, redemit, & ſanctificavit te? Tu verò pro tot gratijs ac muneribus, quid ei rependiſti aliud, quàm ſcelera & peccata, ſterilitatem cordis, & dolorem animæ? *Nunc ergo, Habitatores Jeruſalem, & viri Juda, judicate inter DEUM, & vineam ejus. Quid eſt, quod debuit ultra facere vineæ ſuæ* (animæ noſtræ) *& non fecit? An quod exſpectavit, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* (c)

IV. Audi, quæſo. Si quis eum ſuâ perimeret manu, à quo propriam accepit vitam, quo is dignus eſſet cruciatu, quam pœnam promeritus? Quid ais? An non in-

indignabundus exclamas? *Vah! ubi ſcelus hoc? ubi parricida ille, qui tantum auſus eſt nefas? qui non exhorruit, Parentis rimari viſcera, & jugulum haurire ferro?*

V. Da veniam, & ne ſuccenſeas mihi. Ecce hîc ille adſtat: hîc nequiſſimus eſt mortalium: hîc tuâ is latitat in cute. Tu enim, tu es ille nefandus latro, qui, quantùm in te fuit, DEUM ipſum ſpoliâſti vitâ, & Deitate ſua: qui toties Chriſtum crudeliter occidiſti, quoties in eum mortaliter deliquiſti.

VI. Quid ergo mirum foret, ſi terra dehiſceret, téque vivum abſorberet infernus? ſi ſumeret armaturam zelus DEI contra rebellem, & ingratum? Si pro illo pugnaret orbis terrarum, contra te crudelem, & inſenſatum?

§. II.

De malitia peccati venialis, poſt malitiam peccati mortalis omnium maximâ.

I.

PEccatum veniale, poſt peccatum mortale,

tale, inter omnia mala, maximum malum eſt. Id quod S. Hieronymus teſtatur his verbis: *Neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur.* (*d*) Sanctus item Dorotheus: *Longè melius eſt*, ait, *& corpus, & omnia corporea perire ſimul, quàm lædi animam, in re etiam minimâ.* (*e*)

II. O quam aliter ſentiunt de peccatis venialibus Sancti homines, quàm nos tepidi homunciones, qui ejuſmodi delicta vix æſtimamus, parùm curamus, modicè lugemus, frigidè confitemur, oſcitanter expiamus. Saniora profectò noſtra eſſent judicia, ſi vita purior foret, & ſanctior conſcientia. Sed ignorantiam, animíque cæcitatem ſuppleant verba magnorum amicorum DEI.

III. S. Ignatius in libro Exercitiorum ſpiritualium vult, *hominem ita eſſe conſtitutum, ut, nullâ vel humanæ, vel quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſitâ, unquam adducatur, ut culpam, licèt venialem tantùm, decernat admittere.* (*f*)

IV. S. Anſelmus ita loquitur: *Si hinc*

peccati (ſive mortalis, ſive venialis) *pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem; & neceſſariò uni illorum haberem immergi: priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me committerem. Mallem enim purus & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus Cælorum regna tenere.* (g)

V. Alphonſus Rodriquez Societatis JESU Religioſus, interrogatus, cur fleret, ita reſpondit. *Quomodo non fleam, perſpectam habens gravitatem peccatorum meorum? quandoquidem unum peccatum veniale contra DEUM commiſſum meretur, ut totâ vitâ defleatur.* (h)

VI. Idem S. Thereſiæ de peccato veniali judicium fuit: *Faxit DEUS*, inquit illa, *ut timeamus id, quod debemus timere, & intelligamus, majus malum poſſe advenire ab uno peccato veniali, quàm à toto ſimul inferno: cùm hæc ipſiſſima ſit veritas.* (i)

VII. Eidem conſentit B. Catharina Genuenſis, ſic loquens: *Apud DEUM nullum peccatum poteſt dici minimum, & ne quidem magnum; ſed maximum,*

mum ; cùm ſit contra ſummam ejus bonitatem. (*k*)

VIII. Hæc eadem Beata Famula DEI, cui DEUS ob raram vitæ Sanctitatem lucidiùs oſtendere dignatus eſt peccati fœditatem, de malitia peccati venialis *ſic porrò ait*: Quando mihi conceſſum fuit, videre, quàm paveſcenda ſit umbra minimi actûs, qui ſit contra DEUM, neſcio, cur è vivis non exceſſerim. Tunc dixi: Non miror ampliùs, infernum tam eſſe horrendum, ſi quidem conditus eſt propter peccatum. Tamen reputans animo, quod mihi oſtenſum eſt, non arbitror, eum horrori peccati parem. Imò videtur mihi, quòd DEUS multò minorem inferno horrorem indiderit; adeo terribilis apparet vel umbra peccati venialis. Et quid in hujus comparatione erit peccatum mortale?

IX. Planè mihi perſuadeo (*pergit illa*) quòd illud conſpiciens anima, quamvis eſſet immortalis, præ nimio dolore fieret mortalis. Nam ſola obſcura viſio hac de re oblata mihi (quæ non niſi momentanea fuit) ſi paulò diutiùs duraſſet, licèt corpus habuiſſem adamantinum, interijſſem.

X. Demum (*porrò ait*) quidquid modis omnibus in medium adduco, reſpectu ejus, quod mens mea agnoſcit, mendacium mihi videtur. Dum hæc viſio me penè exanimâſſet, omnis in corpore meo ſanguis fuit congelatus, tantámque debilitatem incurri, ut putarem, mihi ex hac vita migrandum. Sed Bonitas DEI me ſuperſtitem voluit eſſe, ad eam viſionem enarrandam.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, damnum ex ea emergens, hominum opinione maius.

I.

IMperfectio moralis longè majus malum eſt, quàm vulgò putetur. Quemadmodum *teredo*, minimus ligni vermiculus, licèt innocuum videatur animal, ingentes tamen trabes corrodit, & magna ſubinde labefactat ædificia: ſic *imperfectio moralis* ſubtilis animi nævus, etſi parum obeſſe,

Digitized by Google

ſe, aut nihil etiam incommodare videatur, excelſas tamen mentes ſubruere, & vitia non levia progignere poteſt, & ſolet.

II. Magnitudo humanæ imperfectionis æſtimari debet ab altitudine Divinæ Majeſtatis, cujus voluntatem, ſive præceptivam, ſive ſuaſivam, non obſervare, non exequi, ſed negligere, & transgredi cum peccato, vel ſine peccato, res longè majoris momenti eſt, quàm quis fortè ſibi imaginatur. Qui novit, quid ſit *DEO placere*, eique *minùs placere*, vel etiam *diſplicere*, non indiget longâ hujus rei perſuaſione.

III. Certè, quò homo ſanctior eſt, & magìs DEO conjunctus, eò manifeſtior illi eſt, magiſque exoſa moralis imperfectio. Hinc S. Diadochus ait: *Anima, ſi ardorem ex cupiditate mundi collectum ſtudiosè reſtinxerit, etiam valde parva errata pro graviſſimis ducens, lachrimas multas continenter DEO offert.* (*l*)

IV. Et hæc cauſa eſt, quòd multi Sanctorum hominum nævos minimos ſuarum imperfectionum, velut ingentia peccata, multùm ſunt deteſtati, nec ſine fletu, & ſingultibus confeſſi, uti de B. Aloyſio ſcribit

Digitized by Google

Ceparius. (*m*) de Alphonſo Rodriquez, Nierenbergius. (*n*) de S. Paula S. Hieronymus; de B. Maria Ogniacenſi, Vitriacus Cardinalis. (*o*) O quàm alia Perfectorum de morali imperfectione ſunt judicia, quàm eorum, qui vivunt imperfectè, & multa committunt peccata!

V. *Certiſſimum mihi eſt* (dicebat ſuprà commemorata Catharina Genuenſis) *quòd, quando animus purus vel exiguam imperfectionem deprehendit, ſi DEUS non averteret cogitationem, in pulverem redigeretur non corpus modò, ſed & anima, niſi eſſet immortalis.* (*p*)

VI. Hoc ipſum confirmat S. Clara de monte Falco, quæ, teſte Baptiſta Pergilio Scriptore vitæ ejus, dicebat, *ſe malle quodvis in hac vita ſubire ſupplicium, & in fruſta concidi, quàm voluntariè labi in aliquam imperfectionem, per quam ad momentum ſeparetur à perfectiore charitate DEI.* (*q*)

VII. Huc etiam referri poteſt dictum, & decretum illud Joannis Berckmanni è Societate JESU. *Diſrumpar potiùs, quàm vel minimam ordinationem, aut regulam volun-*

Digitized by Google

voluntariè transgrediar. Potiùs amittam omnem ſanitatem, quàm ob illam, ullam regulam prætergrediar. Potiùs moriar, quàm pro ſanitate ullam regulam violem. (*r*)

VIII. Illud quoque præclarum Theologiæ jubar, Franciſcus Suarez dicebat, *ſe malle omnem doctrinam ſuam amittere, quàm vel unam orationem ex Regula Ordinis obeundam negligere*: tametſi ea regula ordinis non obligaret ſub peccato. (*s*)

CITATIONES.

(a) Deut. 4. 10. (b) Iſai. 1. 2. (c) Iſai. 5. 4. (d) S. Hieron. *epiſt. 4. ad Celantiam.* (e) S. Doroth. *ſerm.* 20. (f) S. Ignat. *in lib. exercit. de ſecundo modo humilitatis.* (g) S. Anſelm. *libro, cur DEVS homo. cap. 20.* (h) *In vita ejus.* (i) *In vita* S. Tereſiæ *cap. 25.* (k) *In vita* S. Cathar. Genuenſ. *cap. 10.* (l) S. Diadochus. *cap. 27.* (m) *In vit. lib. 1. cap. 15.* (n) S. Hieron. *Epiſt. 17. ad Euſtoch.* (o) Vitriacus *in vita l. 1. c. 6.* (p) S. Cath. Gen. *in vita c. 15.* (q) S. Clara de monte Falco. *in vita p. 2. c. 3.* (r) *In vita p. 4. fol. 255.* (s) Menolog. Societ. *ad diem 25. Septemb.*

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

De

TERTIA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter turpitudinem, quâ hominis anima per illud deformatur.

I.

PEccatum mortale animam hominis deformem reddit, atque ignobilem. Sic enim ſcriptum eſt. *Cinis eſt cor ejus, & luto vilior vita ejus.* (a) Item. *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.* (b)

II. Inter omnes creaturas primum locum obtinent Angelus, & Homo, adeo ut hisce reliqua univerſa, ſive ſupra, ſive infra Lunæ globum ſita, longiſſimo cedant intervallo. Nihilominus, ſi vel homo, vel ange-

angelus, unius lethalis noxæ maculâ inquinentur, adeo viles fiunt, & turpes in conſpectu DEI, & Sanctorum ejus, ut nihil eis deformius, nihilque ignobilius, aut eſſe, aut dici, aut cogitari poſſit.

III. Unum ſuperbiæ peccatum ex Angelis formoſiſſimis turpiſſima monſtra fecit, quorum horribilem formam nemo unquam ſatis potuit concipere animo, exprimere verbo, formare ſcalpro, pingere penicillo.

IV. Anima hominis peccato mortali deformata longè vilior, turpiórque eſt, quàm omne id, quod unquam in terris, aut vile fuit, aut turpe.

V. Obijce animo tuo, quidquid natura abhorret, & quod oculi intueri præ nauſea vix valent. Cogita ſaniem, pus, phlegma, mucum, ſputum: propone tibi fimum, lutum, catharmata, cadavera; imaginare bufones, ſerpentes, dracones; intuere Æſopos, Xantippes, aliáque ejuſmodi portenta; atque pro certo, & indubitato habe, tuam animam, ſi peccato mortali ſit inquinata, rebus hiſce omnibus longè fœdiorem, viliorémque eſſe.

Digitized by Google

VI. Adeo quidem, ut omnes illæ ſpurcitiæ, & fœditates, in comparatione animæ tuæ, ſint mera pulchritudo, mera venuſtas, & mera gratia: imò pretioſæ gemmæ, flores odoriferi, ſuaveolens balſamum, & aroma fragrantiſſimum.

VII. J nunc, Narciſſe floride, & amabilis Hyacinthe, mirare vultûs tui venuſtatem, generis nobilitatem, nitorem veſtium, morum elegantiam, ſuavitatem ſermonis, aliáque ſive corporis, ſive animi ornamenta; ſi, cùm hæc omnia habeas, una tibi deſit gratia DEI, & foveas in ſinu tuo peccatum mortale, revera miſer es, ac multùm miſerabilis, ipſo turpior cacodæmone, aut, ſi quid hoc monſtro poteſt eſſe monſtroſius.

VIII. Profectò ſi tuam ipſe animam hoc modo conſtitutam corporeis aſpiceres oculis, mox animam, imò mille, ſi haberes, animas, ex intolerabili, quem inde conciperes, horrore in momento efflares.

§. II.

§. II.

De malitia peccati venialis propter turpitudinem illius, ipſius turpitudine diaboli maiorem.

I.

PEccatum veniale turpius eſt diabolo. Hoc eadem jam ſæpius nominata, & citata Catharina Genuenſis teſtatur his verbis. *Fuit mihi in ſpiritu demonſtratum, multò intolerabiliorem eſſe DEI offenſam quamlibet exiguam, ipſo Lucifero in inferno.* Ille, qui vitam hujus Sanctæ Matronæ ſcripſit, de ipſa porrò ſic ait: *Non valens ullo pacto DEI offenſam videre, dixit Domino : Non detrecto, quin omnia dæmonia cum univerſis illorum terroribus, & ſupplicijs, mihi morienti commonſtres; nihil enim illa facio cum intuitu offenſæ tuæ, licèt minimæ, compoſita, quæ tamen non poteſt eſſe minima, eò quòd tua Celſiſſima Majeſtas offendatur.* (c)

II. Quanta igitur, DEUM immortalem, peccati

peccati debet eſſe turpitudo, quod fœdius, & monſtroſius eſt ipſo diabolo! Vis ſcire, quàm turpis ſit diabolus, quàm fœdum hoc Orci monſtrum? Eos interroga, quibus illud à DEO fuit oſtenſum. Audies mira, videbis horrenda; & colliges inde, quàm fœda, & ſpurca ſint peccata.

III. S. Antoninus in hiſtoria ſua refert de Religioſo quodam, qui revocatus ad vitam affirmabat, *ſe malle tranſire per mundum aliquem ardentem, quàm iterum dæmonia, uti priùs, aſpicere.* (d)

IV. S. Catharinam Senenſem ſic DEUS Pater eſt allocutus: *Bene recolis, Filia, quando ſemel dæmonem in forma ſua monſtravi, quaſi per ictum oculi, poſtquam ad ſenſus corporeos reſtituta fuiſti, tu potiùs eligebas per viam igneam uſque ad diem Judicij duraturam ire, quàm amplius eum intueri. Nihilominus, licèt eum videris in breviſſimo ſpatio temporis, adhuc ignoras, quantùm ſit horribilis.* (e)

V. Et aliâ vice DEUS Pater eidem Sanctæ dixit: *Tu nôſti, quòd tam horribilis ſit dæmon, ut homines experti, eligerent potiùs habere omnes pœnas vitæ præ-*

præſentis, quàm eum in ſua figura videre. (f)

VI. Hoc idem S. Birgittæ Chriſtus indicavit his verbis. *Si dæmonum horribilis deformitas videretur, uti eſt, anima videntis ex ipſo viſu extra ſenſum fieret, corpúsque totum, quaſi hominis tremuli, contremiſceret: cor etiam, quaſi timore exanimatum, moreretur, nec pedes ſufficerent, membra reliqua ſuſtentare. Moreretur homo per ſubitaneam mortem, propter horribilem viſionem dæmonum.* (g)

VII. In eundem ſenſum S. Chryſoſtomus ait, *dæmonem adeo eſſe horribilem, ut, ſi DEUS illi permitteret, formidabilem illum ſuum, & horrendum aſpectum nobis oſtendere, continuò mente dimoveremur, & ſolutis artuum compagibus, evolaret anima è corpore.* (h)

VIII. Cùm ergo quilibet peccans, ſit (uti loquitur S. Catharina Senenſis) *dæmon incarnatus*, & omne peccatum ſit ipſo fœdius cacodæmone, cogita, quàm turpis tua ſit anima, ſi peccato (præſertim mortali) ſit inquinata.

§. III.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, inchoata deviatio à ſtudio perfectionis.

I.

MOralis imperfectio hominem retrahit à ſtudio perfectionis. Imperfectio namq; directè opponitur perfectioni: hujus enim illa negatio, ſeu carentia eſt. Atque adeo imperfectio ad perfectionem ita ſe habet, ſicut ignorantia ad ſcientiam; tenebræ ad lucem; frigus ad calorem. Quemadmodum ergo nullus frigori conſenſus eſt cum calore; nulla ſocietas luci ad tenebras, nulla participatio ſcientiæ cum ignorantia, ſic nulla conventio, vel eſt, vel eſſe poteſt ſpirituali perfectioni cum morali imperfectione, ac viciſſim: intellige, ſecundùm unum eundémque actum, aut habitum.

II. Eſt itaque moralis imperfectio inchoata *deviatio à ſtudio perfectionis*, & quantò ampliùs imperfectio creſcit, & augetur, tantò magìs perfectio decreſcit, atque

que imminuitur. Sicut autem per imminutionem perfectionis etiam alia deficiunt virtutum decora, ſic per incrementum imperfectionis vitia invaleſcunt, & peccata.

III. Vulgata Sanctorum ſententia eſt, *non progredientes in pietatis curſu, retrogredi*, & quæſtûs in vita ſpirituali jacturam facere. Exiſtimant nimirum, ex incuria, & negligentia proficiendi mox ſequi multorum bonorum operum, quæ facere tenemur, neglectum; & contrà in multa peccata, quæ cavere tenemur, præcipitem lapſum, & conſequenter priſtinum ardorem in vita piè ſanctéque tranſigenda paulatim excidere, & gradum fieri ad ea peccata, quibus gratia, & amicitia divina prorſus ab animo noſtro depellatur.

IV. Confirmat hanc ſententiam S. Gregorius *his verbis*: Admonendi ſunt, qui inchoata bona minimè conſummant, ut cauta circumſpectione conſiderent; quia, dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerant cæpta convellunt. Si enim, quod videtur gerendum, ſollicita intentione non creſcit, etiam, quod fuerat bene geſtum, decreſcit. (*i*)

V. In

V. In hoc quippe mundo (*ait porrò S. Doctor*) humana anima quaſi more navis contra ictum fluvij condeſcendentis, uno in loco nequaquam ſtare permittitur: quia ad ima relabitur, niſi ad ſumma conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſublevat, ipſa operandi remiſſio contra hoc, quod operatum eſt, pugnat.

VI. Ex his Sancti Doctoris verbis facilè intelligitur, quanti referat, ſervum DEI dare operam quotidiano in virtute profectui; & omnem deſidiam in ſectanda perfectione ſedulò evitare. Verùm quàm neceſſarium ſit eidem, magno ſtudio contendere ad majorem perfectionem, quantóque periculo retrogrediendi ſe exponat, qui id negligit, præclarè exprimit S. Bernardus.

VII. Non habemus, *inquit*, hîc manentem civitatem: aut aſcendas, neceſſe eſt, aut deſcendas: ſi attentas ſtare, ruas neceſſe eſt. Minimè pro certo eſt bonus, qui melior eſſe non vult. Et, ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam deſinis eſſe bonus. (*k*) *Sic, mihi inquis, vivere volo, & manere, in quo perveni: nec peior fieri patior, nec melior cupio.*

Digitized by Google

cupio. Hoc ergo vis, quod eſſe non poteſt. Quodſi, Chriſto currente, gradum ſiſtis, non Chriſto appropias, ſed te magìs elongas, timendúmque tibi eſt, quod ait David: *Ecce, qui elongant ſe à te, Domine, peribunt.* (*l*) Sic S. Bernardus (*m*)

VIII. Eſto, non ſemper, aut gratiâ divinâ, aut priſtina bonitate deſtituatur, qui proficere deſinit, tamen viam quaſi parat ad lapſum, &, quia lapſui proximus eſt, idcirco S. Bernardus dixit, *eum deſinere eſſe bonum.* Etſi enim negligentia proficiendi ſub initium non exæquet lethalem noxam, tamen partem aliquam de bonitate adimit, & prona quædam deviatio à bono in malum eſt. (*n*)

CITATIONES.

(a) Sap. 15.10. (b) 1. Reg. 2. 30. (c) Cathar. Gen. *in vita cap.* 27. (d) S. Anſelmus *citatus à Lancicio opuſc.* 16. *c.* 2. *n.* 15. (e) S. Cathar. Senenſis *cap.* 37. *Dial.* (f) Eadem. *cap.* 132. *Dial.* (g) S. Birgitta. *lib.* 5. *revel. reſponſ.* 5. *ad quæſit.* 5. (h) S. Chryſoſt. *in pſalm.* 41. (i) S. Gregor. *Paſtoral. p:* 3. *c.* 3. (k) S. Bern. *Epiſt.* 91. *ad Abbates.* (l) Pſal. 72. (m) S. Bern. *Epiſt.* 253. *ad Garinum.* (n) Ex Franciſco Arias. *Tract. de Profect. ſpirit, cap.* 5.

Caput Quartum.

De QUARTA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter iacturam donorum ſupernaturalium.

I.

PEccatum mortale animam donis ſupernaturalibus exſpoliat, Gratiâ nimirum, virtutibus, ac meritis. Sic enim ſcriptum eſt: *Miſit manum ſuam hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* (*a*) Item. *Si àverterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.* (*b*)

II. Gratia DEI quædam quaſi participata Deitas eſt, quâ proinde, poſt DEUM, nihil præſtantius reperitur, ſive in cælis, ſive

ſive in terris. Hæc enim, cùm ex natura ſua ſit ordinis ſupernaturalis, ſuperat omne id, quod natura eſt, & quidquid natura præclari habet, ita quidem, ut, juxta certam Theologorum ſententiam, minimus gradus Gratiæ DEI ſupernaturalis melior ac præſtantior ſit ſummis ac ſupremis Cæli Spiritibus, ſecundùm naturam ſpectatis, atque adeo una (ut ita loquar) Gratiæ particula præcedat omnia rerum creatarum ornamenta.

III. Corporum pulchritudo, ſtellarum ſplendor, gemmarum pretium, florum elegantia, copia divitiarum, & alia hujuſmodi felicitatis humanæ oblectamenta, ſi conferantur cum Gratia DEI, nihil aliud ſunt, quàm retrimenta, & quiſquiliæ, nugæ nugarum, & vanitates vanitatum.

IV. Et hoc tam præſtans, tam pretioſum, támque inæſtimabile donum, uno perditur, eóque momentaneo conſenſu in noxam lethalem, quocum omnia pariter fatiſcunt, & quaſi in nihilum rediguntur merita operum, & dona virtutum.

V. Hoc uſque adeo verum eſt, ut, ſi quis vitæ Sanctimoniâ par eſſet S. Joanni Bapti-

 ſtæ:

ſtæ, & cumulo meritorum ipsâ DEI Matre ſuperior foret, nihilominus omnem ſuam opulentiam eo perderet momento, quo conſenſum daret uni mortali peccato.

VI. O cæcitas! ô dementia! ô inſania! ſi pauculos nummos amittas; ſi cultelli, vel libri jacturam facias, ingemiſcis & doles, indignaris & fremis. Nunc verò, cùm Gratiâ DEI privaris, cùm Regno Cæli excluderis, cùm ipſo ſpoliaris DEO, vix ſentis damnum, delictum non defles, nec curas periculum, neque interitum exhorreſcis.

§. II.

De malitia peccati venialis, propter imminutionem Gratiæ, Charitatis, & meritorum.

I.

PEccatum veniale Gratiam DEI obſcurat, ardorem charitatis obtundit, & meritorum augmenta retardat. Teſtatur hoc Richardus Victorinus his verbis: *Parvæ negligentiæ obſcurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.* (c)

S. Tho-

S. Thomas: *Peccata*, inquit, *venialia diminuunt fervorem charitatis, actus virtutum corrumpunt, & impediunt.* (*d*)

II. Certum eſt, atque indubitatum, Gratiam DEI per labem venialem non penitus auferri ab anima hominis; nemo tamen, eſt, qui neſciat, eam ex hujus præſentia plurimum amittere decoris, & dignitatis. Non optimè conveniunt, nec in uno corde bene reſident *Gratia DEI*, ſpecioſa ſicut Angelus, & *culpa peccati*, inſtar diaboli monſtroſa. Gratia DEI, cum noxa veniali in animo hominis conjuncta, eſt ſicut *Arca fœderis*, collocata in templo, *juxta idolum Dagon.* (*e*)

III. *Diffuſa eſt charitas DEI in cordibus noſtris*, ſicut aqua pura in mundiſſimis vaſis. Huic aquæ charitatis ſi miſceatur lutum venialium peccatorum, mox ejus immutabitur color, vitiabitur odor, evaneſcet decor, intepeſcet vigor, calórque evaporabit.

IV. Et hinc pleraque fatiſcent opera pietatis; lanqueſcent ſtudia virtutis, torpebunt exercitia mortificationis. Nihil arduum aggredietur animus, exiguus erit in

cœptis conatus, & ſimilis conatui ſequetur effectus, hoc eſt, vel nullus, vel admodum imperfectus.

V. Interea, dum ita vivitur tepidè, tempus labitur vitæ, vóxque media in nocte auditur: *Ecce ſponſus venit: exite obviam ei.* (f) Tunc fatuæ Virgines (ſtolidi Juvenes, viríque inſipientes) dormiunt, & dormitant omnes; neque oleum habent in lampadibus ſuis, hoc eſt, nulla vel exigua merita ex operibus ſuis: quia tepidè vivendo, & liberè peccando, ſeſe privârunt gratiæ & gloriæ theſauro. Unde hi tales, vel clauſâ januâ remanebunt extra cœlum, vel cælum ingreſſi valde depreſſum occupabunt gloriæ locum.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, minor gratia in hac vita, & minor gloria in altera.

I.

IMperfectio moralis hominem in humili gradu gratiæ & gloriæ ponit. Quemadmo-

admodum enim *ſæcularis mercator*, qui parva lucra negligit, ad magnam opulentiam non aſſurgit: ita *ſpiritualis negotiator*, qui negligens eſt in ſtudio virtutum, atque in cura (ut ajunt) minimorum, nunquam fit dives donorum ſpiritualium: id quod Salomon ſapientiſſimus teſtatur his verbis. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium divitias parat.* (g) *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia, omnis autem piger in egeſtate eſt.* (h)

II. Per actus virtutum acquiritur theſaurus meritorum: ex cumulo autem meritorum, fit gratiæ & gloriæ incrementum. Unde pari tenore hæc tria ſemper æqualiter procedunt: *Actus animæ; habitus gratiæ*; & *lumen gloriæ.* Qualem enim anima producit virtutis actum, talem promeretur divinæ gratiæ fructum: fructus verò gratiæ præſentis, modus & menſura eſt futuræ beatitudinis.

III. Ex quo bene infertur, magnitudinem, aut parvitatem gratiæ & gloriæ pendere ex intenſa, vel remiſſa hominis operatione. Si operatio multùm remiſſa fuerit,

parva illi reſpondebit remuneratio: ſi verò actus virtutum erunt valde intenſi, plurimum inde lucri reportabitur: uſque adeo, ut ſæpe per unum ejuſmodi virtutis actum, valde ſublimis acquiratur Sanctitatis gradus.

IV. Hoc S. Ignatius in quadam Epiſtola luculenter affirmat *hunc in modum*. Certum eſt, pigros, quòd ſeipſos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam unquam ullius virtutis poſſeſſionem venire; cùm tamen diligentes utrumque paucis diebus facilè conſequantur. Eòdem accedit, uſu ipſo & experientiâ patere, non ignavos & tepidos ſed ardentes & gravos in obſequio divino, animi pace & tranquillitate potiri. (*i*)

V. Et meritò quidem (*ſubjungit idem Sanctus Pater*) dum enim in victoria ſui laborant, ut ſe à vinculis amoris proprij laxent, uſque ab imis fibris mæſtitiam, mœrorem, alióſque turbulentos motus animi evellunt, & ſenſim ſine ſenſu virtutum habitudines ſuis animis induunt, à quibus parati, quaſi naturâ duce, deinceps operantur, & ad ſanctam à DEO percipiendam

læti-

lætitiam, conſolationémque parantur; quia *vincenti dabitur manna abſconditum.* (*k*) At verò negligentia, & tepiditas ſemper mœſtos ignavo pariunt labores, quòd illorum cauſam, amorem nempe proprium, non procul amandet, nec bonis operibus DEI gratiam mereatur. Hæc Ignatius. (*l*)

VI. Profectò ſi Sancti in Cælo triſtari poſſent, ac dolere, re nullâ aliâ magìs affligerentur, quàm jacturâ irrecuperabilis augmenti gloriæ, quod olim facillimè mereri potuiſſent, ſi paulò majorem conatum voluiſſent adhibere.

VII. In Regno cæleſti *manſiones multæ ſunt*, (*m*) quæ, ſi conferantur cum manſionibus terrenis, magnæ utique dignitatis, & maximæ ſunt celſitudinis. Si verò comparentur inter ſe ipſas, ingens earum manſionum eſt inæqualitas. Nam ſicuti merita Sanctorum ita & præmia illorum ſunt admodum diverſa.

VIII. Unde illi ſupremo inſeruntur choro Angelorum, qui magnam habuerunt eminentiam virtutum: illi verò, in medio quodam Beatitudinis ſtatu remanent, qui non niſi mediocrem in ſanctitate progreſ-

ſum fecerunt: illi denique poſtrema occupant ſubſellia, & hærent quaſi in fundo, qui negligenter atque imperfectè ſerviêrunt Domino DEO in hoc mundo.

IX. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* (*n*) Sic homo, cùm fuerit mortuus, in eadem ſtatione continuò eſt permanſurus; dum aut perenni fruetur gloriâ in cælo, aut æterna ſuſtinebit ſupplicia in inferno. Imò in ipſa gloria cæleſti, aut pœna infernali, ſuam quivis certam habebit ſedem, ſeu manſionem.

X. Sicut enim nemo ex damnatis ab infernali carcere evehetur in Cælum: ſic nemo ex Beatis ab uno gradu gloriæ progredietur ad alium: ſed eam quivis ſervat, ſervabítque menſuram gloriæ in cælo, quam primo ſtatim acquiſivit beatitudinis ſuæ momento. Unde qui ſemel inferiorem ſortitus eſt locum, nunquam erit in medio, nec unquam aſcendet ad ſummum.

XI. Utinam ſaperes nunc, & intelligeres, & noviſſima prævideres! Ecce in tuo jam ſitum eſt arbitrio, in tua nunc voluntate ac poteſtate poſitum, vel altiùs elevari,

vel

vel deprimi profundiùs in cæleſti manſione. Si vitam egeris immaculatam, ſanctóſque habueris mores, fulgebis in cælo, ſicut Sol inter ſtellas minores. Si verò ſocors, & languidus fueris in ſtudio virtutum, vocaberis, eríſque *minimus in regno cælorum.* (o)

CITATIONES.

(a) Thren. 1. 10. (b) Ezech. 10. 21. (c) Richard. victorin. *in Cant.* 5. (d) S. Thom. 1. 2. q. 28. *a.* 1. *ad* 1. (e) 1. Reg. 5. 2. (f) Matth. 25. 6. (g) Prov. 40. 4. (h) Prov. 21. 3. (i) S. Ignat. *in Epiſt. de perfection. Religioſ. num.* 4. (h) Apoc. 2. 17. (l) S. Ignat. *loc. cit.* (m) Joan. 14. 2. (n) Eccli. 11. 3. (o) Matth. 5. 19.

Caput Quintum.

De QUINTA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis propter indurationem, & excæcationem hominis.

I.

PEccatum mortale indurat cor hominis, excæcátque intellectum ejus. Sic enim ſcriptum eſt: *Cor ejus indurabitur, quaſi lapis; & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* (*a*) Item. *Error & tenebræ peccatoribus concreatæ ſunt.* (*b*) Hæc nimirum eſt indoles peccantium, ut, quò magìs vulnerantur à peccatis, eò minùs ſentiant vulnera ſuæ mentis: & ſicut manus callum obducit ex aſſiduitate laboris, ſic animus indureſcit ex frequentia peccaminoſæ actionis.

II.

II. Videre quempiam eſt, qui cùm diu bene atque innocenter vixiſſet, tentatus aliquando humanæ ſuccubuit fragilitati. Et continuò ſuum agnoſcens caſum, amaros ſentit conſcientiæ ſtimulos, quibus adactus, commiſſum luget crimen, Confeſſarium quærit; venenum evomit, cavétque relapſum. Si tamen ex ſuamet negligentia, & incuria, denuo in idem vel aliud labatur ſcelus, mox durior fit ad compunctionem, languidior ad confeſſionem, remiſſior ad emendationem.

III. Denique, quò ſæpiùs reiterare audet idem facinus, eò magìs induratur animus ejus. Unde ſenſim ſine ſenſu perdit omnem pietatis ſenſum, guſtúmque orationis, & ſacræ lectionis uſum. Contritio fit illi dura, confeſſio amara, communio rara, mortificatio exoſa, emendatio aut nulla, aut vix ulla.

IV. Quæritur voluptas, arridet vanitas, placet impietas; & dantur denique impudentiæ manus, dum pleno impetu, & clauſis quaſi oculis, ruitur in profundum abyſſi, in barathrum omnium ſcelerum. Unde jam non ampliùs peccatur ex fragilitate,

te & ignorantia, cum aliquo metu & horrore, ſed ex plena & deliberata malitia, cum guſtu, jubilo, & voluptate. Atque hæc eſt illa *cordis induratio*, malitiæ ſoboles, nequitiæ mater, tenebrarum amica, perditionis æternæ prodroma.

V. Ex hac cordis induratione, ſpiſſæ conſurgunt nebulæ, craſsique vapores exhalant: *Falſa*, inquam, *principia*, *erroréſque practici*, qui hominem dementant, obfuſcando intellectum, & depravando voluntatem. Quænam, ais, hæc falſa ſunt principia, & quinam practici errores? Ea, ſi placet, ſi lubet audire, paucis ediſſero. *Dixit inſipiens* (ſive vir, ſive adoleſcens) *in corde ſuo.* (*c*) Et quid dixit?

VI. In corde ſuo dixit *primò. Non eſt DEUS* adeo durus & crudelis, ut tam ſeverè vindicet delicta Juventutis: nunquid is novit figmentum ſuum, & plaſma fragile, quod pronum eſt ad malum ab adoleſcentia ſua? nônne miſeratio ejus magna eſt, multúmque placabilis ſuper malitia hominum?

VII. Dixit *ſecundò, Omnia tempus habent.* (*d*) Alia Viros, alia Juvenes decent: his alacritas, illis convenit animoſitas: pietas

tas devota ad ſenes decrepitos ſpectat. Næ ille ſpeciem improbitatis habet, qui nimiùm juſtus, nimiùm ſanctus eſſe, vel apparere deſiderat. Quod volo? In mundo verſor. Si monachus eſſem, ſcio, quid facerem. Modò pijs vacare operibus non placet; abſtinere à peccatis, vix licet. Peccare humanum eſt, & nihil humani à me alienum puto.

VIII. Dixit *tertiò*. Multi peccârunt, & ſalvi facti ſunt: quidni & ego? dum ſpiro, in DEUM ſpero, & eum quæro; *ſpes autem non confundit*. (*e*) Non odi Bonitatem DEI, ſed amo voluptatem mundi. Opto cælum, & ſalvus eſſe ex animo cupio: interim tamen fruor his, quæ ſunt ſuper terram; vivo mihi, meóque obſequor genio. Erit tempus, cùm uno gemitu, & una pectoris percuſſione, omnia peccata mea demergam in profundum maris. *Petenti dabitur, & pulſanti aperietur.* (*f*)

IX. Talia dixerunt, qui poſiti in atrio inferni, hujus inhiant voluptatibus ſæculi: non cogitantes, nec ponentes in præcordijs, *quoniam ſpes impij, tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma*

gra-

Digitized by Google

gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt. (g) Cùm è contrario, *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedat, & creſcat uſque ad perfectam diem.* (h)

§. II.

De malitia peccati venialis propter infelicitatem, quam in ſe continet, morte graviorem.

I.

PEccatum veniale luctuoſius eſt morte. Quod eadem famula DEI, quam ſuprà citavimus, teſtatur his verbis. *Certum habe, quòd, ſi quis cerneret, quàm enorme ſit unum tantùm peccatum veniale, potiùs eligeret in accenſa fornace vivus conſiſtere, quàm in ſe peccatum tolerare: &, ſi univerſum mare ignis eſſet, ad effugiendum peccatum, ſeſe in medium ejus uſque ad fundum demergeret, neque inde unquam prodiret, ſi ſciret, quòd prodiens peccatum in ſe eſſet conſpecturus.* (i)

II. Ex quo apparet, veteres erráſſe Philoſo-

loſophos, qui dixerunt, *mortem corporis omnium terribilium eſſe terribiliſſimum.* (*k*) Cùm tamen peccato quolibet, licèt minimo, nihil eſſe terribilius, nil crudelius dici, nihílque formidabilius poſſit cogitari: uſque adeo, ut ſatius foret, mille mortes per acerbiſſima ſuſtinere tormenta, quàm vel ſemel DEUM offendere veniali noxa.

III. Et ſanè, ſi *mortem* inter, & *veniale peccatum* velimus inſtituere comparationem, videbimus hoc illi nimiùm quantùm præponderare. Nam *primò*, quid eſt *mors* aliud, quàm debitum naturæ, tributum mortalitatis, initium beatitudinis, beneficium generis humani, dum is, qui moritur, dat illi, qui naſciturus eſt, ſua morte, locum vitæ.

IV. E contrario *peccatum veniale*, quid eſt aliud, quàm rationalis ignominia creaturæ, injuria DEI, dedecus mundi, abominatio cæli, purulenta ſanies orci, probrum vitæ, macula animæ; contumelia gentis humanæ; adeo quidem, ut, ſi nec gloria cæleſtis eſſet, nec pœna infernalis, nec locus purgatorij, una venialis peccati malitia plus foret timenda, quàm cœli,

terræque interitus, ac totius ruina univerſi.

V. *Secundò. Mors* malum eſt ſolius pœnæ, quod DEUS ipſe velle poteſt, atque inferre; ſicut ſcriptum eſt, *Vita & mors, paupertas, & honeſtas à DEO ſunt.* (*l*) Sed *noxa venialis* malum eſt culpæ, quod DEO tantopere repugnat, ut DEUS mallet non eſſe DEUS, quàm vel ad momentum ei eſſe obnoxius. Unde ſcriptum eſt: *Abſit à DEO impietas, & ab Omnipotente iniquitas.* (*m*)

VI. *Tertiò. Mors* eſt occaſio virtutis, palæſtra fortitudinis, patientiæ materies, augmentum gratiæ, finis miſeriæ, initium gloriæ, conſummatio coronæ. *Peccatum* verò *veniale* clades eſt virtutum, jactura meritorum, peſtis animarum, principium ruinæ, fons lethalis malitiæ, origo calamitatis extremæ.

VII. *Quartò.* Viri ſanctimoniâ vitæ clari *mortem*, ceu magnum DEI beneficium, ex animo optârunt, cum deſiderio exſpectârunt, cum gaudio ſuſtinuerunt: qui tamen *veniale peccatum* ſummo proſecuti ſunt odio; néve illud committerent,

ſol-

ſollicitè caverunt, aut, ſi commiſſum fuit, acerbè planxerunt.

VIII. *Quintò* denique. Chriſtus ipſe, qui ſumma eſt veritas, & ſanctitas infinita, *mortem* non ſolùm non abhorruit, ſed ultrò etiam elegit, quæſivit, ac pertulit: cùm tamen *peccatum* quodlibet extremè ſit execratus, atque, ut illud penitus aboleret, acerbiſſimos perpeſſus ſit cruciatus.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, prona & præceps devolutio in tepiditatem, & laxitatem.

I.

MOralis imperfectio, ſi ſæpiùs iteretur, & hujus iterationis parva, aut nulla ſit cura, hominem in valde perniciosam tepiditatem, laxitatémque præcipitat. Sacra Scriptura ait: *Pigredo immittit ſoporem, & anima diſſoluta eſuriet,* (*n*) quaſi dicat, ut bene declarat S. Gregorius, quemadmodum pigredo facit, ut homo ſine neceſſitate

Digitized by Google

obdormiſcat, & ignavia in operando facit; ut homo patiatur famem, aliarúmque rerum inopiam ; ſic torpor in vita ſpirituali ab imperfecto vivendi modo proveniens, in anima excitat ſoporem quendam ſpiritualem, quo homo, quaſi omni bonorum operum, conſolationúmq; ſpiritualium ſenſu deſtituitur, & ſolas ſectatur voluptates terrenas.

II. Unde fit, ut ei neque meditari, neque loqui de DEO libeat, non ſolitudinem, non orationem, non ſacram amet lectionem, nullámque capiat ex virtutum exercitatione delectationem : ſed contrà ſe totum dedat cupiditatibus rerum caducarum, oculóſque & aures paſcat vanis, & curioſis colloquijs; unde proclivis eſt lapſus in crimina, quæ hominem penitus ab amicitia, & gratia divina divellunt.

III. Atque hæc eſt pœna formidabilis, quam Chriſtus cuidam tepido comminatus eſt in Apocalypſi, dicens: *Utinam frigidus eſſes, aut calidus; ſed quia tepidus es, incipiam te evomere.* (o) *Calidum* vocat, teſte Gregorio, qui ſedulus & ardens eſt in vita pia, & ſancta. *Frigidum* verò, qui

Digitized by Google

qui obnoxius quidem eſt peccato mortali, ſed magna ſpe tenetur evadendi illud. *Tepidum* autem appellat, qui cœpit ſervire DEO quidem, ſed languidiùs in ſuſcepto ſemel pietatis cultu progreditur, nec operam dat, ut faciat in virtute progreſſum.

IV. Hac expoſitione ſignificat, etiamſi major culpa ſit frigidi, quàm tepidi, ejus gravitate ſpectata, tamen tepido majus quodammodo impendere periculum, ſi eorum rationem habeamus, quæ ſolent ejuſmodi hominibus tandem evenire. Nam frigidus in peccato mortali exiſtens, ſpem de ſe præbet, ſi converſus fuerit, magnæ in divino ſervitio diligentiæ & fervoris; videmus enim multos magnos peccatores, in magnos Sanctos jam olim commutatos.

V. Cæterùm de tepido metus eſt verus, & probabilis, eum omni gratia exutum iri, eáque ſemel amiſſa tam cæcum futurum, & obſtinatum in malo, ut difficillimè in viam revocari poſſit: non quòd ex parte DEI poteſtas, aut voluntas eũ ſanandi deſit, ſed quia ex parte ſua tam longè abſit à deſiderio poſtulandi à Deo auxilij, atque etiam tam imbecillis, ut poſtulare non velit, aut valeat.

Digitized by Google

VI. Quare non loquitur per verba ſuprà citata Dominus de quocunque peccatore frigido, ſed de ijs, qui peccatorum ſuorum gravitate perculſi, magna humilitate, & dolore animi conantur emergere è malorum profundo, ut verbis illis hæc ſit ſubjecta ſententia: *Utinam fervens, & ſedulus eſſes in meo ſervitio: aut, quia non es, utinam vel tantam profectûs, ſalutíſve ſpem præberes, quantam præbent multi peccatores, quam tamen tu non præbes: imò quia tepidus & negligens, magno in periculo verſaris, ne & meâ gratiâ in hac vita, & æternâ gloriâ in altera excidas.* (p)

VII. Hæc damna ſunt propria eorum, qui in vita piè, ſanctéque inchoatâ, progreſſum facere negligunt, quíque vivendo imperfectè in ſtudio perfectionis langueſcunt. Hæc item pœna eſt ingrati animi.

VIII. Nam, quemadmodum gratitudinis eſt, beneficijs acceptis bene uti, & fructũ aliquem ex illis decerpere, (cujus fructûs merces eſt, ut DEUS, ob grati animi ſignificationem, novis donis & muneribus, pro immenſa ſua liberalitate, priora ſua beneficia cumulet) ſic ſummæ ingratitudinis eſt, abuti

abuti beneficijs divinis, nullúmque ex ijs fructum capere.

IX. Unde ſequitur, ut talibus DEUS, juxta culpæ gravitatem, paulatim omnem benevolentiam, omniáque ſpiritualia auxilia ſubtrahat, ac denique omnibus gratiæ ornamentis ſpoliet, detrudátque, pro ingrati animi meritis, ad eas pœnas, quas promeruit *ſervus inutilis*, qui cum talento accepto negotiari noluit, cui Dominus ſuſtulit talentum, æternísque tenebris eum in prædam abjecit.

CITATIONES.

(a) Job. 41. 15. (b) Eccli. 11. 16. (c) Pſalm. 13. 2. (d) Eccle. 3. 1. (e) Rom. 5. 5. (f) Luc. 11. 10. (g) Sap. 5. 14. (h) Prov. 4. 18. (i) Cathar. Gen. *in vita. cap. 12.* (k) Ariſtot. *lib. 3. Ethic. cap.* 8. & 9. (l) Eccli. 11. 14. (m) Job. 34. 10. (n) Prov. 19. 15. (o) Apoc. 3. 15. (p) Ex Franciſco Arias. *in tract. de profect. ſpirit. cap. 5.*

Caput Sextum.

De

SEXTA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter maximas miſerias, & calamitates, quarum eſt cauſa.

I.

PEccatum mortale gravium miſeriarum, & calamitatum eſt cauſa. Sic enim ſcriptum eſt: *Multa flagella peccatoris.* (*a*) Item: *Mittam in eos gladium, & famem, & peſtem, eò quòd non audiverint verba mea.* (*b*)

II. Grandis quorundam hominum, & valde imprudens temeritas eſt, qui propter longanimem DEI patientiam, ſuam aggravant augéntque malitiam, atque ideo liberiùs

Digitized by Google

beriùs peccant, quia vindictam DEI non ſtatim ſentiunt: id quod DEUS jam olim conqueſtus eſt per Eccleſiaſticum, his verbis: *Quia non citò profertur contra malos ſententia, abſque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* (c).

III. Sed hunc ipſum errorem, ut corrigeret DEUS, alibi ſic ait: *Ne dixeris; peccavi, & quid accidit mihi triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Subitò veniet ira ejus, & in tempore vindicta diſperdet te.* (d)

IV. Peccâſti, ô homo, ut ipſemet fateris; peccâſti non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs peccâſti; peccâſti heri, & hodie, & nudius tertius, & tamen adhuc bene vales, ſanus es corpore, vegetus mente; etiamnum ſapit cibus, oblectat potus, recreat ſomnus; nihil amiſiſti in ære, nihil deceſſit in honore; te perinde, ſicut antè, homines amant, téque, ut hominem frugi, venerantur ac verentur; conatus tui proſperè ſuccedunt, bellè omnia, feliciterque ſe habent. Cur igitur, ais, peccare non libeat, ſi cum peccatis ita eſſe, ſic vivere liceat?

V. Ne ita cogites, ô homo, ne ita loquaris; nondum enim dierum omnium ſol occubuit. Dilata eſt pœna, non ablata. *Altiſſimus enim eſt patiens redditor*; & quò longior eſt mora exſpectantis, eò gravior eſt ira vindicantis. *Veniens veniet, & non tardabit.* (*e*) Veniet dies Domini, dies iræ, & furoris, quo cum gemitu, & lamentabili ſingultu dices: Ah! DEUS! *Parce peccatis: nunquid conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ!* (*f*) *Miſerere mei, DEUS, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.* (*g*) *Delicta juventutis meæ, & ignorantias ne memineris.* (*h*)

§. II.

De malitia peccati venialis, propter graviſſimas pœnas, quibus caſtigatur in hoc mundo.

I.

PEccatum veniale graviſſimè punitur in hoc mundo: id quod teſtatur S. Proſper his verbis. *Peccata ſive parva, ſive magna, impunita eſſe non poſſunt, quia, aut homine pœnitente, aut DEO vindicante puniuntur.* (*i*)

II. Et

II. Et hoc ipſum Sacræ litteræ multis confirmant exemplis. Uxor Loth retrò reſpexit ex vitio curioſitatis, & mox verſa eſt in ſtatuam ſalis. (*k*) Pauperculus Iſraëlita parum ligni collegit in Sabbatho, atque ideo DEUS juſſit illum extra caſtra lapidari. (*l*) Moyſes & Aaron ad aquas contradictionis parumper hæſerunt, diffiſi DEO; unde ambo priùs, quàm venirent in terram promiſſionis, mortui ſunt in deſerto. (*m*)

III. Præterea, pueri Bethlemitæ deridentes Eliſæum, occiſi fuerunt dentibus urſorum. (*n*) David ex quadam præſumptione, ſeu ſuperbiâ numerari curavit populum ſuum, atque in pœnam hujus peccati peſte ſublati ſunt ſeptuaginta millia virorum. (*o*) Oza nutantem arcam tetigit manu, & corruit miſerabili extinctus caſu. (*p*) Rex Ezechias ſuas opes, ob vanam gloriam, Legatis Babylonicis oſtendit, atque ideo ſuos theſauros unâ cum Filijs ac ſubditis ſuis per Babylonios amiſit. (*q*) Ananias & Saphyra mentiti ſunt Sancto Petro, & Sanctus Petrus utrumque occidit maledictionis verbo. (*r*)

IV. In his exemplis horrore plenis quatuor

tuor potiſſimùm expendi poſſunt. *Primò*, omnes eos, quos hactenus recenſui, doctorum virorum judicio, non niſi venialiter peccâſſe. *Secundò*, eorum aliquos eximiè ſanctos; & peculiariter à Deo dilectos fuiſſe.

V. *Tertiò*. DEUM à nullo eorum ſumpſiſſe pœnas ſupra meritum, ſed omnes multâſſe infra condignum, ut qui nunquam homini ſic ſolet iraſci, eúmque punire, quin ſuam iram ac pœnam attemperet aliqua miſeratione.

VI. *Quartò*. Peccata hoc modo punita, haud multa fuiſſe, aut ſæpius repetita, ſed in quovis ferè non niſi unum, nec niſi ſemel admiſſum.

VII. Ex quibus omnibus utiliſſima erui poſſunt documenta, quæ tibi, Amice Lector, ne juſto prolixior ſim, conſiderãda relinquo.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, ligatio beneficæ manus DEI.

I.

IMperfectio moralis fontem divinæ largitatis obſtruit. Quemadmodum enim

gemma

gemma nobilis, aut liquor magni pretij non ſolet imponi vili thecæ, aut vaſi immundo, ſic *favor cæleſtis*, & ſpecialis gratia DEI non ſolet infundi homini tepido, atque imperfecto.

II. Teſtatur id S. Bernardus his verbis: *Peremptoria res eſt ingratitudo* (quæ morali ſemper annexa eſt imperfectioni) *hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Vias enim obſtruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia acceſſum non invenit, locum non habet.* (*s*)

III. DEUS ex inſita ſibi benignitate adeo liberalis eſt, ac propenſus ad benefaciendum ſuis creaturis, ut nihil magìs ei in votis ſit, quàm illas ampliſſimis ornare donis. A condito Orbe nemo unquam fuit, qui tam ardenter aliquid à DEO ſibi dari petijt, quin id ipſum DEUS illi longè ardentiùs dare voluerit, modò id, quod dandum erat, petenti fuerit utile, aut is, qui dari poſtulavit, non obſtiterit dare volenti.

IV. Ex quo colligitur, in noſtro ſitum eſſe arbitrio, donis DEI vel abundare, vel carere. Cùm enim, ex parte DEI nullum adſit obſtaculum, imò magna proclivitas dandi, ſequitur, id, quod dandum eſt, in

noſtra poſitum eſſe manu, modò adſit accipiendi voluntas.

V. *Dilata os tuum, & implebo illud, ait Deus omnipotens. (t) Omnes ſitientes venite ad aquas: qui non habetis argentum, properate, venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione.* Quid adhuc tardatis? *Appropiate ad me, & congregate vos in domum diſciplinæ. Venite ad me, & comedite bonum; & delectabitur anima veſtra. Audite audientes me, & vivet anima veſtra. (u)*

VI. Cùm igitur DEUS adeo ſe benignum oſtēdat homini, nunquid contra eum jure poteſt conqueri, ſi pauca accipiat beneficia, ſi modica poſſideat dona? Plura haud dubiè, & longè majora ipſe eſſet accepturus, ſi melior foret diſpoſitio illius, animúſque capacior. Tibi igitur imputa, ô homo, ſi parum huc uſque accepiſti à DEO. Ne dubita: largiorem expertus eſſes DEUM, ſi & tu liberalior fuiſſes in eum.

VII. Tuam ſubinde mirari ſoles indigentiam, ſi aliorum opulentiam vel videas, vel audias, & livido quodam mœrore commotus, cogitas & dicis intra te. Cur, me relicto,

relicto, ſic alios beat DEUS? Cur hunc & illum tot ornat favoribus? Illi virtutibus abundant, ſolatijs inundant, miraculis clarent, coluntur in terris, honorantur in cœlis. At *ego vir videns paupertatem meam*, (x) ingemiſco ſub onere, repleor amaritudine, inebrior felle, fatigor labore, dolore crucior, languore diſſolvor. O cuſtos hominum! quid feci tibi? in quo deliqui, quòd alijs tam largus, tam parcus ſis mihi?

VIII. Reſpondebo tibi, ò homo, & loquar pro Domino DEO tuo, ut ipſe juſtificetur in ſermonibus ſuis, & tu confundaris in operibus tuis. Ceſſa, obſecro, æmulari, & noli indignari contra eum, qui plenus eſt æquitate & juſtitia, plenus bonitate & miſericordia.

IX. Quis es tu, qui comparas te, melioribus te? Et qui ſunt illi, quos tuo metiris pede? Ecce, tu vitijs abundas, multíſque ſcates imperfectionibus; lubricus in cogitatione, futilis in ſermone, languidus in opere; blandiris carni, famularis mundo, obſequeris diabolo; fugis laborem, dolorem metuis: horres inopiam, quæris gaudia, ſectaris commoda, venaris lucra; affe-

ctibus

ctibus indulges, & mille reſpectibus es plenus; refugis humiliari, & appetis honorari; ſenſualiter amas, & ſingulariter amari deſideras; iram foves in corde, rancorem geris in ore, vindictam in opere exerces. Et hæc, nî fallor, tua eſt ſanctitas, hæc virtus tua, hæc tua perfectio.

X. Nunquid & tales ſunt illi, quorum miraris præmia, & opera non imitaris? Neſcis profectò, quanta ſit diſtantia, quantúmque chaos inter te, & ſanctos illos. Ecce, vide, & bene conſidera vitam & mores illorum. Illi unicè DEUM amant, & proximum pro viribus adjuvant: converſatio illorum eſt in cælis, & Angelorum inſtar vivunt in terris: *Prudentes ſunt, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ*: (y) erga omnes patientes ac benevoli, humiles & manſueti: Chriſto per intimam adhærent unionem, eúmque per aſſiduam mortificationem imitantur, *crucifigentes carnem cum concupiſcentiis ſuis*: (z) renunciant mundo, obſiſtunt diabolo, cum pompis & vanitatibus ejus.

XI. Præterea optant contemni, penuriam pati non recuſant, doloribus affligi, premi-

premíque injurijs, pro felicitate habent. Plus gaudent obſequio DEI, ejúſque beneplacito, quàm proprijs commoditatibus, & corporis oblectamentis. Illi manibus innocui, & mundi corde, puritatem conſcientiæ adeo ſollicitè cuſtodiunt, ut nullum unquam veniale peccatum, nec imperfectionem, datâ operâ, atque animo plenè deliberato committant.

XII. I nunc, ô homo, pone ſupercilium, deijce oculos, & plange pectus tuum: honora Sanctos, & Sanctum Sanctorum adora: aſſume parabolam, agénſque pœnitentiam dic cum Sancto Job: *Leviter locutus ſum, & reſpondere quid poſſum: manum meam ponam ſuper os meum. Unum locutus ſum, (quod utinam non dixiſſem) & alterum, quibus ultra non addam.* (aa)

CITATIONES.

(a) Pſalm. 31. 10. (b) Jerem. 4. 10. (c) Eccli. 8. 11. (d) Eccli. 5. 4. (e) Habac. 2. 3. (f) Job. 14. 10. (g) Pſalm. 50. 1. (h) Pſalm. 25. 7. (i) S Proſper *in Sentent. S. Auguſtini.* (k) Gen. 30. 16. (l) num. 15. 36. (m) Deut. 32. 51. (n) 4. Reg. 2. 23. (o) 2. Reg. 24. 15. (p) 2 Reg. 6. 7. (q) 4. Reg. 20. 16. (r) Act. 5. 5. (s) S. Bern. *Serm. 2. in Evang. de 7. panibus.* (t) Pſalm. 80. 11. (u) Iſai. 1. 50. (x) Thren. 3. 1. (y) Matth. 10. 16. (z) Gal. 5. 24. (aa) Job. 39. 34.

Caput Septimum.

De SEPTIMA RATIONE, ET CAUSA, DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter abbreviationem, & accelerationem mortis.

I.

PEccatum mortale accelerat mortem, & tempus vitæ abbreviat. Sic enim ſcriptum eſt: *Minorâſti dies temporis ejus.* (*a*) Item. *Impius, antequam dies ejus impleantur, peribit.* Item. (*b*) *viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* (*c*) Item. *Dum adhuc ordirer, ſuccidit me,* (*d*) longas ſcilicet telas vitæ meæ.

II. Præproperas Juvenum mortes hâc plerunque ornare ſolemus epigraphe: *Raptus*

ptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. (e) neſcio, an ſemper ex vero; ſæpe enim moritur homo ante tempus in juventute, non tam ut peccata ampliùs non committat, quàm quia peccata, eáque multa, & magna jam antè commiſerat; ut adeo mors ejus immatura ſit potiùs pœna, & ſupplicium peccatorum præteritorum, quàm futurorum evitatio, ſeu ceſſatio periculorum. Unde de tali Juvene celeriùs extincto veriùs fortaſſe diceretur: *Raptus eſt, quia malitia jam mutaverat intellectum ejus, & fictio jam deceperat animam illius.*

III. Theologi aſſerunt, probántque ex ſacris litteris, confirmántque exemplis, & rationibus evincunt, cuivis homini certam à DEO ſtatutam eſſe *menſuram peccatorum*, quâ ſemel impletâ, DEUS abſque morâ vindicem ſtringat manum, gladióque juſtitiæ peccatorem feriat, eum aut vivum puniendo, per ſubtractionem efficacis gratiæ, finalis maximè; aut mortuum ſtatim damnando ad ignes æternos gehennæ.

IV. Hæc verò menſura peccatorum, non una omnium æqualis eſt peccantium, ſed,

 juxta

juxta inſcrutabile ſapientiæ divinæ conſilium, admodum diverſa. Quidam enim parvam; aliqui mediocrem; alij maximam habent. Fuerunt ſanè, quos una, vel altera lethalis noxa detruſit ad ſupplicia inferni; alios decem, alios centum, alios mille, alios milliones aliquot peccatorum perennibus addixêre flammis. (f) *Juſtus eſt DEUS, & rectus in omnibus operibus ſuis*; & nemo poteſt ei dicere, cur ita facis, & non aliter? cur hunc ſeriùs ob plura, & majora peccata, & illum citiùs ob minora & pauciora crimina punis?

V. Cogita nunc, ô homo, an tua, quam habes, menſura peccatorum arcta ſit, an ampla; vacuáne, an plena; Quid ſi proximum, quod hodie, vel cras commiſſurus es, peccatum tuorum peccatorum futurum ſit ultimum, poſt quod furor & ira, calamitas & miſeria, mors repentina & perditio æterna?

VI. *Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus*, (g) Deúmque quaſi tumentes ſuper ſe fluctus, aſſiduè formidat. (h) *Memento Creatoris tui, in diebus juventutis tuæ, antequam veniat dies afflictionis, & appropient*

anni,

Digitized by Google

anni, de quibus dices: non placent, & in æternum non placent. (*i*)

VII. *Multa flagella ſunt peccatoris*; (*k*) ſi metuas flagella, fuge peccata; ſi times ſupplicia, vita flagitia; ſi refugis pœnam, declina culpam. O ſi ſaperes, & intelligeres, & mala futura prævideres, & præcaveres, aut puram ſervando innocentiam, aut pro illa amiſſa dignam agendo pœnitentiam!

VIII. *Quaſi à facie colubri fuge peccata,* (*l*) Si hactenus peccâſti, *ne adjicias iterum; ſed de priſtinis deprecare, ut ea tibi dimittat DEUS.* (*m*) Cogita enim, ſi unum peccatum mortale æterna meretur ſupplicia, quid facient centum? quid millia?

§. II.

De malitia peccati venialis, promerente acerbiſſimas pœnas purgatorii.

I.

PEccatum veniale perquam acerbè caſtigatur in purgatorio: id quod teſtatur venerabilis Beda his verbis: *Committunt*

juſti peccata venialia, & ideo neceſſe eſt, ut ij tales in ira DEI corripiantur, (n) in purgatorio.

II. Graves fuerunt pœnæ, quibus DEUS, uti ſuperiùs dictum, punivit venialia peccata viventium in hoc mundo; ſed longè graviora ſunt ſupplicia, quibus animas mortuorum, ob levia delicta, caſtigat in purgatorio.

III. Hîc tria potiſſimùm attendere oportet. *Qualitatem* ſcilicet *animarum*, quæ patiuntur. *Quantitatem pœnarum*, quæ inferuntur. *Parvitatem culparum*, quæ expiantur.

IV. Et *primò* quidem, *Animæ*, quæ patiuntur in purgatorio, ſunt omnes ſanctæ, juſtæque coram DEO, confirmatæ in gratia DEI, præordinatæ ad vitam æternam: imò quædam ex ijs, quæ ob magnam vitæ ſanctitatem ingentia, & valde eminentia habent merita, ac paulò pòſt ad ſublimiſſimum evehendæ ſunt gloriæ thronum. Fit etiam interdum, ut animæ ejuſmodi Sanctorum, eo ipſo tempore, quo ſubtus terram pœnis crucientur piacularibus, magnis in terra honoribus afficiantur, tum propter virtutes,

quibus

quibus in vita erant ornati, tum propter miracula, quæ ad eorum fiunt ſepulchra.

V. *Secundò. Pœnæ*, quæ inferuntur in purgatorio, ſunt admodum graves, in pondere, menſurâ, & numero, adeo quidem, ut in earum comparatione nihil ſimile in toto terrarum orbe ſit invenire: id quod verba Sanctorum Patrum, & multarum teſtantur relationes hiſtoriarum.

VI. S. Julianus Archiepiſcopus Toletatanus ita loquitur: *Gravior eſt ignis purgatorij, quàm quidquid homo poteſt pati in in hac vita.* (o) Et S. Cæſarius: *Durior eſt*, inquit, *pœna purgatorij, quàm quidquid poteſt pœnarum in hoc ſæculo, aut videri, aut cogitari, aut ſentiri.* (p) Venerabilis item Beda: *Purgatorij correctio gravior eſt, quàm quidquid unquam paſſi ſunt latrones, vel ſancti Martyres, vel quidquid gravius homo poſſit cogitare.* (q)

VII. Unde & S. Thomas aſſerit, *pœnam minimam purgatorij, excedere maximam pœnam hujus vitæ.* (r) Confirmat hoc ſancta quædam virgo, quæ exiſtens in raptu dixit: *Omnia tormenta, quæ perpeſſi ſunt Sancti Martyres, ſunt quaſi amœnus hor-*

tus reſpectu eorum, quæ infliguntur in purgatorio. (s)

VIII. *Culpæ* deinque, quæ in purgatorio expiantur, ſunt ſæpe admodum leves in hominum judicio, ita quidem, ut quandoque vix ſpeciem videantur habere peccati, ſæpe etiam virtutibus adſcribantur. At verò per acerbitatem pœnarum agnoſcimus gravitatem culparum: cùm enim rectus & juſtus ſit Dominus DEUS noſter, procul dubio nunquam ita ſæviret in animas ſanctas, niſi juſtas ſæviendi haberet cauſas.

IX. Mira profectò ſunt, & conſideratione digna, quæ variæ tradunt, narrántque hiſtoriæ. S. Udalricus Epiſcopus Auguſtanus ideo pœnis purgantibus addictus fuit, quia ſuum nepotem, optimo, uti rebatur, animo, ſucceſſorem in Epiſcopatu conſtituere voluit. (*t*)

X. Soror S. Damiani propter oblectationem ex cantu audito, debuit octodecim diebus manere in purgatorio. (*u*) Durandus antiſtes purgatorium ſat longo tempore ſuſtinuit, quia ſubinde verba riſum moventia protulit. (*x*) Binulphus propter obolum

obolum ſublatum, projectus eſt in puteum igneum, atque incredibilem ſenſit cruciatum. (*y*)

XI. Puer quidam novennis, ob duos crucigeros (quos mutuò acceperat) ante mortem non ſolutos, adeo punitus eſt in purgatorio, ut matri ſuæ apparens dixerit: *ſi omnes prunæ, quas unquam carbonarij accenderunt, arderent in unum cumulum congeſtæ, & tu, dilecta mater mea, in medio ſtares cumulo, tales haud quaquam ſentires dolores, quales nunc ego.* (*z*)

XII. Taceo plures alios, qui propter leviſſima delicta pœnas dederunt in purgatorio ſat graves. Paucorum tamen brevem adhuc mentionem facio pro utilitate Lectoris.

Alius quidam in purgatorio pœnas luit, quia ſuos plùs æquo amabat parentes.

Alius, quia diebus feſtis opera quædam curioſa (non autem ſervilia) ſine neceſſitate peregit.

Alius, quia cibo, potúque juſto magìs fuit delectatus.

Alius, quia in teſtamenti ſibi commiſſi executione negligens fuit.

Digitized by Google

Alius, quia ſuperiori ſegniùs obedivit. (*aa*)

XIII. *Alius* item, quia poſt menſam, loco pſalmi, *Miſerere*, ſolitus eſt dicere, *Laudate Dominum omnes gentes.*

Alius, quia nimis diu ſedit in menſa.

Alius, quia ſine facultate ſuperioris diſciplinam fecit.

Alius, quia ex pecunia pauperum medicinam emit.

Alius, quia ſoccos veteres, novis acceptis, contra regulam retinuit.

Alius, quia in morbo habuit aliqua, quibus non indiguit.

Alius, quia veteres caligas ſibi ſervavit, & in communi cuſtodia non repoſuit. (*bb*)

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, cauſa & occaſio perverſionis, & ruinæ Adoleſcentûm.

I.

MOralis imperfectio plerumque initium eſt

eſt perverſionis Adoleſcentûm, & quandoque cauſa, & occaſio (ſaltem remota) totalis ruinæ illorum.

Hunc duplicem moralis imperfectionis effectum duplici diſcurſu oſtendo.

Diſcurſus primus.

II. Inter morales defectus moralis imperfectio defectus minimus eſt: & licèt minimus defectus ſit, non parvam tamen, ſed ſæpe valde magnam virtuti ac pietati cladem affert. Plerique enim (ſive Adoleſcentes, ſive alij) qui in ſtudio probitatis, vitáque bene peracta deficiunt, primum defectionis ſuæ à morali imperfectione exordium ſumunt. Quemadmodum enim parvus piſciculus, *Remora* dictus, curſum magnarum ſiſtit navium, ſic *modicus* ſæpe *defectus* (qualis moralis imperfectio eſt) ingentes frangit conatus virtutum.

III. Hinc S. Ignatius Loyola ſolitus eſt dicere, *perpaucos, & fortaſſe vix ullum eſſe, qui perfectè intelligat, quantum DEO, volenti in eo operari, ipſe impedimento ſit, quantúmque in nobis efficeret, niſi à nobis ipſe impediretur.* (cc)

IV.

IV. Solet quandoque tenera puerorum ætas magnis nitere virtutibus, ac veluti futuræ præludere ſanctitati : adeo, ut quidam, curiosè illos oſervantes , dicant intra ſe. *Quis, putas, puer iſte erit?* (*dd*) Si tanta nunc probitas eſt in puero, qualis & quanta erit olim in viro?

V. Hi Angeli terreſtres in ſua adoleſcentia exſtruunt aras , colunt imagines , fundunt preces , adeunt templa, audiunt Miſſas , frequentant conciones , cohibent ſenſus, caſtigant corpus, domant affectus, fugiunt peccata, laboribus gaudent, adeunt ſcholas, pia legunt, penſa ſolvunt, utilia ſcribunt, ſe crebrò diſcutiunt, ſæpe confitentur, frequenter communicant, cautè loquuntur, prudenter ſilent, modeſtè incedunt, parentes amant, Magiſtris obediunt, omnes honorant.

VI. Quis igitur præclaros in Autumno, ſeu maturiore in tempore, non ſperet fructus, ſi tales in vere, in prima ætate conſpiciat flores? Et ſanè ſpes iſta non foret inanis, ſi ſemper idem eſſet progreſſus, & ſimilis progreſſui finis. Ut adeo multos haberemus Aloyſios, multos Edmundos , & multos

multos Stanislaos, ſi cum incremento ætatis pariter fierent augmenta virtutis.

VII. Verùm miſera, prô dolor, experientia teſtatur, non rarò bonos pueros, & optimos adoleſcentes degenerare in malos juvenes, & in peiores evadere viros, quibus illætabilis illa non immeritò occinatur nænia: *Quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus color optimus? Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores, denigrati ſunt ſuper carbones, & non ſunt cogniti in plateis. Qui veſcebantur voluptuosè, interiêrunt in vijs; qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* (ee)

VIII. *O inſenſati* Juvenes! ô ſtolidi Adoleſcentes! *Currebatis bene: quis vos impedivit?* (*ff*) quis moram injecit? quis ratem inhibuit? Parvus piſciculus, modicus defectus, levis tranſgreſſio, exigua imperfectio. Tunc enim ceſsâſtis rectè currere, quando incepiſtis imperfectè vivere. Nam primus ingreſſus veſtro-

veſtrorum ſcelerum fuit neglectus bonorum operum, quæ olim per ultroneam pietatem ſuſcepiſtis, & per laudabilem conſuetudinem diu peregiſtis, & denique per damnabilem ſocordiam, vel ex parte, vel omnino neglexiſtis.

IX. Hæc clades, hæc pernicies, hæc una veſtrorum malorum cauſa, & origo fuit, ô Adoleſcentes. Fateor equidem, te non peccare, ſi preces voluntarias omittas, ſi caſtigationes ordinarias negligas, ſi regulas ſcholarum violas, ſi ſtatuta Congregationis non obſerves, ſi rariùs Sacramenta uſurpes. Interim tamen, dum iſta temerè omittis, imperfectionem committis; per imperfectionem autem, quæ non eſt peccatum, paulatim incidis in vitia, quæ ſunt peccata; & denique per vitioſam hanc negligentiam, tuam amittis innocentiam.

Secundus diſcurſus.

X. Moralis imperfectio quandoque, uti ſuprà dictum, cauſa & occaſio eſt totalis ruinæ Adoleſcentûm, & aliorum. Quemadmodum enim ex ſcintilla fit flamma; ex flamma augetur ignis, ex igne erumpit incen-

Digitized by Google

cendium, ſic ſæpe ex imperfectione exoritur peccatum veniale; ex veniali mortale; ex mortali relapſus; ex relapſu conſuetudo; ex conſuetudine deſperatio; ex deſperatione finalis impœnitentia; ex finali impœnitentia damnatio æterna.

XI. Hæc ſeries eſt malorum, catena ſcelerum, hæc trita reproborum via eſt, quam omnes, quotquot unquam periêrunt, aut peribunt, iverunt aliquando, & impoſterum ibunt. Hoc ſacræ teſtantur litteræ, hoc ſancti Patres unanimiter loquuntur. *In pigritijs*, ait Sapiens, *humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perſtillabit domus.* (gg) *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* (*hh*)

XII. S. Bernardus: *A minimis*, inquit, *incipiunt, qui ad maxima proruunt. Veriſſima enim ſententia eſt: Nemo repentè fit malus.* (*ii*) S. Auguſtinus: *Noli*, ait, *leviora contemnere, quia minora ſunt, ſed time, quia plura ſunt. Ex minutis guttis multiplicatis, inundationes fiunt aquarum, quæ etiam magna quandoque mœnia ſubvertunt. Per modicam rimam aqua latenter influit in navim, donec ſubmergatur:*

ſic

ſic parva errata, ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, ſicut unum grande peccatum. (*kk*)

XIII. Conſideremus vecordem Juvenem, immerſum vitijs, peccatis aſſuetum, addictum voluptatibus, amoribus irretitum, majoribus rebellem, minoribus aſperum, audacem verbis, ferocem factis, moribus agreſtem, exoſum Superis, damnoſum alijs, perniciosſum ſibi. Conſideremus, inquam, vecordem hunc Juvenem, & videamus, quâ ille viâ, quibúſve modis prolapſus ſit in tam altam ſcelerum voraginem.

XIV. Vix duo, trésve ſunt anni (ſi bene memini) cùm hic ipſe Adoleſcens puer erat delicatus, parvulus & innocens, atque unicè dilectus matri ſuæ; modeſtus in greſſu, verecundus in vultu, in veſtitu mundus, moderatus in victu, tenellas ad cælum tendebat manus, & ore innocuo fundebat preces: majoribus attulit ſolatium, æqualibus obſequium, inferioribus auxilium, bonum omnibus exemplum.

XV. O DEUM immortalem! quàm mores nunc habet alios, quàm vitam inæqualem! Quonam is philtro, quo Circes poculo

culo eſt adeo dementatus, ut fieret ex homine, beſtia; ex turture, milvus; ex agno, lupus; ex Angelo, diabolus?

XVI. Cantabo canticum Jeremiæ Prophetæ: *Peccatum peccavit Jeruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Omnes, qui glorificabant eam, ſpreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus.* (*ll*) Per illam *Jeruſalem*, intelligo hunc Juvenem, qui ideo peccatum peccavit, quia vitam vivere meliorem ceſſavit.

XVII. Deſtitit orare, & incæpit peccare: deſeruit pietatem, & reperit iniquitatem: per levia errata ſine peccato, prolapſus eſt in graviora delicta ſine numero, ſuam utique ſemper innocentiam retenturus, ſi bene cæptam, abſque interruptione pietatem continuâſſet.

CITATIONES.

(a) Pſal. 88. 46. (b) Job. 15. 32. (c) Pſal. 54. 24. (d) Iſai. 38. 12. (e) Sap. 4. 11. (f) Pſal. 144. 17. (g) Pſal. 28. 14. (h) Job. 31. 23. (i) Eccle. 12. 1. (k) Pſalm. 31. 10. (l) Eccli. 21. 16. (m) Eccli. 21. 1. (n) Beda *in pſalm. 37.* (o) S. Julian. *lib.* 1. *progn. cap. 19.* (p) Cæſarius *hom.* 8. *ad populum.* (q) Beda *in pſalm. 37.* (r) S. Thom. *in 4. d.* 21. *q. 1. a.* 1. *ad 1.* (s)

Magdal. de Paz. *2. part. vitæ cap. 13.* (t) *In vita ejus.* (u) Hartem. Carthus. *l. 2. Inſtit. Chriſt. cap. 25.* (x) Vincent. Belluac. *in ſpeculo hiſt. lib. 1. 24. cap. 3.* (y) Cæſarius. *lib. 12. cap. 57.* (z) Speculum Exempl. *diſt. 9.* §. *101.* (aa) Nierenb. *lib. 2. doctrin. Aſcet. doctr. 12. cap. 77.* (bb) Lohner, *in man. bibl. verbo*, Purgatorium. (cc) Ribadeneira *in vita l. 5. c. 10.* (dd) Luc. 1. 66. (ee) Thren. 4. 1. (ff) Gal. 5. 7. (gg) Eccle. 10. 18. (hh) Eccli. 19. 1. (ii) S. Bern. *de ordinata vita.* (kk) S. Auguſt. *de decem chordis. cap. 11.* (ll) Thren. 1. 8.

Caput Octavum

De OCTAVA RATIONE, ET CAUSA DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter infelicem mortem temporalem & æternam.

I. Pec-

I.

PEccatum mortale per mortem infelicem, ad æternam perducit damnationem. Sic enim ſcriptum eſt: *Mors peccatorum peſſima.* (*a*) Item: *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviſcuntur DEUM.* (*b*)

II. Durum eſt mori in lecto; ignominioſum in patibulo; luctuoſius imò luctuoſiſſimum in lethali peccato. Mors enim in ſtatu peccati mortalis initium eſt æternæ damnationis: æterna autem damnatio, omnium collectio eſt malorum; cùm in uno quaſi faſce colligatum habeat, quidquid mali in toto univerſi ambitu in varia eſt diſperſum.

III. Si ſapis, ô homo, nunc vivus deſcende in infernum, ne mortuus aliquando pervenias in miſerabilem locum illum. Pondera magnitudinem dolorum, & annorum multitudinem numera; metire inſuper æternitatem cruciatuum: adhibe pondus, quàm potes, grave, & nunquam æquabis ſupplicium: utere calculo, quàm potes amplo, & nunquam excedes numerum.

IV. Accipe menſuram, quàm potes, lon-

longam, & nunquam videbis exitum. Junge menſes, menſibus; annos, annis; ſæcula, ſæculis: his rurſus adde myriades myriadum; milliones millionum, quos iterum, iterúmque duplica, triplica, aut quomodocunque multiplica; & tamen longitudinem dolorum nondum attigiſti; multitudinem annorum nondum exhauſiſti: imò nec minimam partem æternorum cruciatuum inveniſti.

V. O longa æternitas! ô æterna acerbitas! ô acerba calamitas! ô calamitoſa infelicitas! ultra quam non eſt alia, & intra quam omnia ſunt mala, quæ vel oculus vidit, vel auris audivit, vel cor hominis cogitavit.

VI. *Duo mala fecit populus meus:* & duo mala reddidit ei DEUS. *Dereliquit ipſe fontem aquæ vivæ*, & DEUS illum privavit dono viſionis beatificæ. *Foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* (c) Et DEUS pro illis conſtruxit fornaces ignitas, quas extinguere nulla unquam poterit ætas.

VII. De utroque hoc malo magnus quidam Magiſter Spiritûs ita loquitur: Primò.

mò. *Si quidquid de pœnis inferni dici poteſt, ad ipſam veritatem comparetur, minùs eſt, quàm una gutta ad univerſum mare.* Secundò. *Pœnæ tartareæ ſunt res modicæ, & quaſi parvæ, ſi ad æternam divinæ viſionis privationem conferantur.* (d)

VIII. Hæc, ô homo, vivaciter apprehende, veracitérque expende: hæc efficaciter animo imprime tuo. Nihil enim ſic ignem concupiſcentiæ extinquit, uti frequens, & vivax conſideratio gehennæ. Unde haud difficulter poteris quævis peccati illicia ſuperare, ſi ſupplicia inferni bene conſiderare in animum inducas tuum.

§. II.

De malitia peccati venialis, propter malum, quod in ſe continet peius inferno.

I.

PEccatum veniale peius eſt inferno. Sic enim ſcribitur in vita B. Catharinæ Genuenſis. *Fuit illi in Spiritu demonſtratum,*

multò intolerabiliorem rem eſſe DEI offenſam, quamlibet exiguam, ipſo Luciferi inferno. (c) Præterea videns, quàm gravis ea ſit, tantus in corde ejus ignis exarſit, ut in morbum inciderit.

II. Et, dum alio tempore eidem oſtenſum eſſet, quantopere unum ſolummodo veniale peccatum noceat, novum ſuſtinuit impetum ignis, adeo in corde exæſtuantis, ut corpus ejus perferre non valens, diſrumpi putaretur. Procul dubio, ſi DEUS illi unum ejuſmodi peccatum in ejuſmodi viſione demonſtrâſſet, è veſtigio animam reddidiſſet.

III. Dicebat poſtea: *Qui perſpiciunt, quanti momenti ſit DEI offenſa, non poſſunt alium æſtimare cruciatum, neque alium infernum, quàm illam ipſam offenſam: adeo terribilis mihi videtur vel umbra venialis peccati.* Hæc illa, & Auctor vitæ illius.

IV. Ne autem putes, hæc per auxeſim aliquam, exceſsúmque pietatis ſolummodo dici, rationem affero, allatæque veritatis confirmationem. Quæro enim ex te, qui hæc legis: Quid reddit infernum adeo horren-

Digitized by Google

rendum, & formidabilem? Tria, ni fallor, dices. *Dæmones*, qui pœnas inferunt. *Animæ*, quæ pœnas ſuſtinent. *Pœnæ* ipſe, quæ dœmones, & animas cruciant. In hoc quippe ternario conſiſtit, quidquid horroris eſt in inferno. Sed nunquid hæc omnia tria, quæ dixiſti, ſunt opera ipſius DEI? & quodlibet eorum exiſtit ideo, quia creatur, & conſervatur à DEO? Quis enim creavit dœmones, conſervat animas, producit pœnas, niſi ille, *à quo facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil?* (*f*)

V. Quis ergo id malum eſſe credat, dicátque horrendum, quod DEUS ipſe creat, quódque ejus eſt figmentum? Si nôſſe deſideras, quid propriè malum ſit, quid verè horrendum, inquire rem illam, quæ DEI Bonitati tantopere contraria eſt, ut ſuam ipſius eſſentiam potiùs eſſet amiſſurus, quàm rei illius exiſtentiam producturus. Hoc autem ſolum atque unicum peccatum eſt, ſive magnum, ſive parvum, ſive mortale, ſive veniale.

VI. Omnia, quæ DEUS & velle potuit, & facere valuit, *bona* ſunt, & quidem *valde bona*: (*g*) ergo omnia, quæ DEUS,

nec velle potuit, nec facere valuit, *mala* ſunt, & quidem *valde mala*. Nolo pluribus hoc proſequi argumentum, ne lectori faſtidium creem. Si ea, quæ modò dicta ſunt, bene intelligas, perſpiciáſque clarè, citra ambiguitatem agnoſces, & fateberis, *peccatum veniale peius eſſe inferno.*

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, aliarum multiplicatio imperfectionum.

I.

IMperfectio moralis neglecta, & non correcta multarum aliarum cauſa eſt, atque origo imperfectionum. Quemadmodum enim *pauca lolia*, & *zizania* in agro vel horto, niſi ſtatim in primo ſuo ortu, atque in herba evellantur, majora mox incrementa accipiunt, ſéque in omnem partem dilatant, totûmque agrum, vel hortum occupant, non ſine damno melioris ſementis. Sic *modici defectus*, & pauculæ imperfectiones, per hominis incuriam, in animo exor-

tæ,

tæ, niſi ſolerte manu, & ſedula falce, vel ſarculo, continuò reſecentur, & eradicentur, magis, magìsque creſcunt, augentur, & multiplicantur, ita, ut bonarum ſemen inſpirationum zizanijs, ac lolijs oppreſſum non valeat pullulare, fructúmque ſolidarum ferre virtutum.

II. Rex Salomon ait: *Per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam hominis ſtulti. Et ecce totum repleverant urticæ; operuerant ſuperficiem ſpinæ; & materia lapidum deſtructa erat. Quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diciplinam.* (*b*)

III. Imitemur exemplum Sapientiſſimi Regis. *Ponamus* & nos *iſtud in corde noſtro*; inſpiciamus cum illo talem agrum, & talem vineam, ut & nos, ſicut ille, per ſimile *exemplum, diſcamus diſciplinam.*

IV. Egrediamur in agrum livore, & ſquallore plenum. Surgamus ad vineam, ſpinis & urticis obſitam. Videamus, quales hortus pigri parturiat fructus, & quales vinea hominis imperfecti producat vuas, ſeu potiùs labruſcas.

V. Loquar clariùs, ſine parabola, &

abſque obſcuritate. Diſpiciamus, & conſideremus, quos, & quales *moralis imperfectio* iterata ſæpius, & ita frequentata, ut quaſi in habitum deducta ſit, obduxerítque callum, quos, inquam, & quales ea proferre ſoleat effectus. Ecce, tibi exemplum ſeu paradigma dictorum fructuum, ſive effectuum ante oculos pono.

VI. Imperfectio moralis, ſi altiores egit radices, ea, quæ porrò dicentur, in animo hominis tepidi, & profectûs ſpiritualis parùm ſtudioſi efficere conſuevit.

Primò, ut ipſe exiguam perfectionis notitiam habeat, vel certè vix ullam ejus curam præſeferat.

Scundò. Ut multa & magna imperfectionis damna non apprehendat, atque adeo committere imperfectionem pro nihilo ducat.

Tertiò. Ut vulgari ſeu mediocri virtute contentus ſit, nec porro ſtudeat charismata æmulari meliora.

VII. *Quartò*. Ut ipſe, ſi quando ſublimes virtutum actus legit vel audit, eos ſubtiles eſſe conceptus hominum dicat, & credat.

Quintò.

Quintò. Ut propinguam Chriſti imitationem, ceu rem à ſe alienam, vix percipiat cogitatione, nedum praxi, ſive opere perficiat.

Sextò. Ut dolorem, contemptum, & paupertatem, & alia, quæ ad Chriſti crucem pertinent, non tantùm non amet, non quærat, non amplexetur; ſed vehementer oderit, fugiat, & averſerur.

Septimò. Ut commoda rerum, & ſenſuum oblectamenta, ceu ſolidam felicitatem, ardenter optet, ſolerter indaget, intemperanter uſurpet.

VIII. *Octavò.* Ut plus amet, curétque ſanitatem corporis, quàm ſanctitatem animæ: unde pro tuenda, vel recuperanda valetudine, non veretur multas committere imperfectiones, aut etiam veniales culpas.

Nonò. Ut magnus ſit amator, & mirator naturæ: atque hinc dona naturalia in ſemetipſo ſuſpiciat ſuperbè; in alijs diligat immodicè.

Decimò. Ut inter ſupernaturalia dona, & beneficia DEI, ea præ cæteris optet, & quærat, quæ plus ſplendoris habent, & admi-

ratio-

Digitized by Google

rationis, plus honoris afferunt, & oble-ctationis.

Undecimò. Ut homines divites, nobiles, & potentes, ceu DEOS quosdam, veneretur, & quaſi adoret: pauperes verò, ignobiles, & miſeros, ceu viles animas, averſetur, ac repudiet.

IX. *Duodecimò.* Ut, ſi quæ illi poteſtas obtingat, aut dignitas conferatur, hâc velut optatâ felicitatis ſuæ meſſe utatur; ſibíque, quaſi pro jure ſuo, quidvis arrogare præſumat, quidquid vel vanitati, vel ſanitati, vel voluptati conducere conſpicit.

Decimò tertiò. Ut ipſe honoris & reputationis ſuæ magnam ubique curam gerat, caveátque ſummopere, ne vel ſeipſum plus æquo humiliet; vel ab alijs plus juſto humilietur.

Decimò quartò. Ut ſenſibus ac definitionibus ſuis tenaciter adhæreat, & grandes ſuper arenam ſapientiæ ſuæ moles ædificet.

Decimò quintò. ut ex cæco quodam tumore ſuam ipſe ignoret ignorantiam, & perperam facta, pro magna habeat prudentia.

X. Talis

X. Talis, Amice Lector, eſt vita hominis *Sacro-profani*, *Profano-Sacri*, hoc eſt, *ſemi-boni*, & *ſemi-mali*. Vitâ tepida, vita miſera, & miſerabilis, vita plena erroris, & plena diſcriminis: Ejus initia videntur eſſe bona, ſpecioſa, atque honeſta: ſed noviſſima illius ſunt valde mala, luctuoſa, & funeſta.

CITATIONES.

(a) Pſalm. 33. 22. (b) Pſalm. 9. 8. (c) Jerm. 2. 12. (d) Rusbrochius *epiſt. 1.* (e) Cathar. Gen. *in vita cap. 17.* (f) Joan. 1. 1. (g) Gen. 1. 31 (h) Prov. 24. 31.

CAPUT

CAPUT NONUM.

De NONA RATIONE, ET CAUSA DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter multa alia peccata, quorum eſt cauſa.

I.

PEccatum mortale aliorum cauſa eſt peccatorum. Sic enim ſcriptum eſt: *Appone, Domine iniquitatem, & non intret in juſtitiam tuam.* (*a*) Item. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* (*b*)

II. Quòd peccatum mortale morbos accerſat, mortem accleret, vitam abbreviet, Eccleſiam turbet, Rempublicam peſſundet, cœlum occludat, infernum reſeret, atque innumera invehat in orbem terrarum mala: hæc, inquam, univerſa, ſi juſta ponderentur lance, non niſi minuta, & vix ullius mo-

Digitized by Google

momenti damna ſunt, ſi conferantur cum eo, quòd unum peccatum mortale ſit cauſa alterius peccati, ſive mortalis, ſive venialis.

III. Ratio eſt; quia, cùm quodlibet peccatum, ſeu malum culpæ, præponderet omnibus malis pœnæ, & hujus, & alterius vitæ, non poteſt majus eſſe peccati ſupplicium, quàm ſequens ex peccato peccatum: cujus intuitu mille morbi, mille peſtes, mille mortes, mille inferni, meræ malorum ſunt umbræ, & vana calamitatum nomina.

IV. Et hoc adeo verum eſt, ut, juxta unanimem Sanctorum ſenſum, præſtaret, cœlum terrámque diſſolvi, atque unâ cum omnibus hominibus, & Angelis in nihilum redigi, quàm unicum peccatum ſive mortale, ſive veniale committi.

V, Quis ergo non exhorreſcat, ſi peccatum peccato puniri audiat? ô caſtigatio crudelis! ô ira immanis! ô furor implacàbilis! Quis hoc valet audire, quis penitiùs cogitare, quin toto contremiſcat corpore, & tinniant ambæ aures ejus? O ſegetem malam ex peſſima natam ſemente, cùm culpa ipſa ſit pœna culpæ!

VI. Et

Caput Nonum.

De
NONA RATIONE, ET CAUSA DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter multa alia peccata, quorum eſt cauſa.

I.

PEccatum mortale aliorum cauſa eſt peccatorum. Sic enim ſcriptum eſt: *Appone, Domine iniquitatem, & non intret in juſtitiam tuam.* (a) Item. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* (b)

II. Quòd peccatum mortale morbos accerſat, mortem acceleret, vitam abbreviet, Eccleſiam turbet, Rempublicam peſſundet, cœlum occludat, infernum reſeret, atque innumera invehat in orbem terrarum mala: hæc, inquam, univerſa, ſi juſta ponderentur lance, non niſi minuta, & vix ullius mo-

Digitized by Google

momenti damna ſunt, ſi conferantur cum eo, quòd unum peccatum mortale ſit cauſa alterius peccati, ſive mortalis, ſive venialis.

III. Ratio eſt; quia, cùm quodlibet peccatum, ſeu malum culpæ, præponderet omnibus malis pœnæ, & hujus, & alterius vitæ, non poteſt majus eſſe peccati ſupplicium, quàm ſequens ex peccato peccatum: cujus intuitu mille morbi, mille peſtes, mille mortes, mille inferni, meræ malorum ſunt umbræ, & vana calamitatum nomina.

IV. Et hoc adeo verum eſt, ut, juxta unanimem Sanctorum ſenſum, præſtaret, cœlum terrámque diſſolvi, atque unâ cum omnibus hominibus, & Angelis in nihilum redigi, quàm unicum peccatum ſive mortale, ſive veniale committi.

V. Quis ergo non exhorreſcat, ſi peccatum peccato puniri audiat? ô caſtigatio crudelis! ô ira immanis! ô furor implacàbilis! Quis hoc valet audire, quis penitiùs cogitare, quin toto contremiſcat corpore, & tinniant ambæ aures ejus? O ſegetem malam ex peſſima natam ſemente, cùm culpa ipſa ſit pœna culpæ!

VI. Et

VI. Et verò tales ex tali radice progigni fructus, magnus ille teſtatur Gregorius: *Si*, inquit, *culpa citiùs pœnitendo non tergitur, juſto judicio, Omnipotens DEUS obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere; ut, qui flendo, & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.* (c)

VII. Cave autem, ne, dum audis, peccatum eſſe pœnam peccati, conſtituas DEUM auctorem peccati; *DEUS enim intentator malorum eſt*; (d) & hoc ipſo, quia DEUS eſt, peccatum facere non poteſt. Peccatum DEUS punit peccato, non illud volendo, ſed permittendo; non inclinando voluntatem hominis ad peccandum, ſed ſubtrahendo gratiam ſpecialem, & efficacem ad reſiſtendum.

VIII. Vult DEUS, & verò monet, jubétque, ut homo fugiat peccata, atque ut fugere poſſit, ſufficientia præbet auxilia: ſed homo, cùm poſſet non peccare, peccat ex malitia; & DEUS, cùm poſſet impedire peccatum, permittit illud ex juſtitia. Valde enim videtur æquum eſſe, ac rationabile,

bile, ut ei negetur peculiare beneficium, qui tali beneficio ſeſe reddidit indignum.

IX. Interea tamen, ô homo, ſi lapſus es in peccatum, noli, quaſi iterum peccaturus, deſpondere animum. Novit DEUS mutare rigorem Juſtitiæ ſuæ, ſi tu coneris amovere putorem malitiæ tuæ. Quieſcet furor, & ira ejus, fiétque placatus ſuper admiſſa iniquitate, ſi tu quoque quieveris perversè agere, & cum omni fiducia redièris ad eum.

X. Ceſſa igitur peccare, & incipe amare DEUM, ut & DEUS ceſſet à pœna, téque liberet ab omni culpa. Copioſum mereberis auxilium, ſi generoſum adhibueris conatum.

§. II.

De malitia peccati venialis, propter diſpoſitionem, quam ſternit ad peccatum mortale.

I.

PEccatum veniale diſpoſitio & via eſt ad peccatum mortale. Teſtatur hoc S. Dorotheus his verbis: *Studeamus cuſto-*

 dire

dire conſcientiam noſtram, neque concul-cemus eam in aliquo, etiamſi minimum ſit. Facilè enim ex his minimis, & verè vili-bus, ad magna committenda delabimur. Curate levia, quoad levia ſunt, ne graviora fiant: nam à minoribus & levioribus, ſen-ſim incipit quis in majora, & graviora pro-labi, & ſic deinceps per partes proruens periclitatur, atque in profundum malitiæ decidit. (e)

II. Affirmat hoc ipſum S. Damianus hac ſimilitudine: *Sicut in corporibus, qui par-va vulnera negligunt, ſaniem plerumque ac mortem ſibi ipſis accerſunt; ad eundem modum etiam in animis hoc uſuvenit, ut, qui minima vitia ac peccata nihili pendunt, graviora ſibi invehant: quatenus autem graviora peccata oboriuntur, contracto tan-dem habitu, anima in contemptum cadit. Impius enim, ait ille, cùm in profundum venerit, contemnit;* (f) *ac deinceps, ut ſus in cœno volutari gaudet. Sic etiam anima, pravæ conſuetudini immerſa, ne peccato-rum quidem fœtorem ſentit; verùm potiùs ipſis gaudet, & oblectatur, vitiúmque inſtar boni cujusdam arctiſſimè retinet.* (g)

III.

III. Hæc prona hominis proclivitas ac ruina, ex peccato veniali in peccatum mortale, triplicem potiſſimùm cauſam, atque originem habet, quarum *prima* eſt, ex parte DEI, contra quem peccatur. *Secunda*, ex parte hominis à quo peccatur. *Tertia*, ex parte rei ſive objecti, circa quod peccatur.

IV. Et *primò* quidem DEUS, ob peccata, quibus offenditur, cogitur quaſi ex Juſtitia, peccatori ingrato majora negare auxilia, citra quæ facilis eſt lapſus in graviora delicta. Sic frequens mendacium, petulans convitium, temerarium judicium in re levi, quandoque cauſa & motivum ſunt, cur DEUS in graviore tentatione det minùs auxilium, permittátque hominem prolabi in grave delictum; quod utique factum non fuiſſet, niſi leviores illæ culpæ præceſſiſſent.

V. *Secundò*. Homo, dum ſæpe peccat venialiter, paulatim declinat in habitum peccandi mortaliter. Nam unus idémque habitus, per actus vitioſos contractus, animum hominis inclinat, & ad veniale, & ad mortale peccatum. Sic v. g qui ſæpe ſolet jurare verum ex ſola jocandi libidine, facilè

poteſt jurare falſum, ex mala jurandi conſuetudine: prius autem eſt peccatum veniale; poſterius, mortale.

VI. *Tertiò.* Res una & eadem, quæ poteſt eſſe materia peccati venialis, quandoque ſolet fieri materia peccati mortalis, vel ex aliqua affinitate, vel ex majore quantitate, vel ex pleniore advertentia, & libertate. Sic v. g. amor ſenſualis facilè degenerat in carnalem, & laſcivum; furtum unius bacei excreſcit in furtum unius taleri: ſic moroſa delectatio cum ſemiplena libertate & advertentia, fit conſummata libido cum integra, & perfecta malitia.

VII. Et hoc eſt, quod S. Thomas, & S. Auguſtinus, aliíque unanimiter docent. Prior enim hac de re ita loquitur: *Sicut accidens poteſt eſſe diſpoſitio ad formam ſubſtantialem, ita peccatum veniale ad mortale.* (*b*) Poſterior autem ſic ait: *Dum homines negligentes deſpiciunt peccata ſua, quæ parva ſunt, creſcentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt.* (*i*)

§. III.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, Chriſto & Beatæ Virgini faſtidium creare, ac diſplicentiam.

I.

IMperfectio moralis Chriſto, & Beatæ Virgini aliquam moleſtiam & diſplicentiam creat, eorúmque reprehenſione ac vituperio digna efficitur. Quemadmodum enim *Nobilis Adoleſcens*, ſi in conſpectu Patris & Matris ſuæ levem aliquem errorem politiori civilitati, ſplendoríque generis non ſatis conſentaneum committat, utriusque oculos & animum offendit, juſtámque increpationem meretur; tametſi error ille nulli contrarius ſit parentum imperio, ac proinde omni inobedientiæ culpâ vacet. Sic ſi Juſtus aliquis DEO valde charus, & per gratiam Sanctificantem *Filius DEI*, moralem committat imperfectionem, non quidem peccaminoſam, & culpabilem, divinæ tamen voluntati, quam S. Paulus *Beneplacen-*

tem, & *Perfectam*, vocat, non ſatìs conformem, hoc faciendo aliquid agit, quod Chriſto, & Beatæ Virgini non placet, atque idcirco ſe illorum reprehenſione & increpatione dignum reddit.

II. Et ſic hoc etiam in caſu verificatur illud, quod Sacra ſcriptura ait: *In diſciplina perſeverate. Tanquam filijs vobis offert ſe DEUS: quis enim filius, quem non corripit Pater?* (*k*) Ille videlicet Pater, qui de ſeipſo in Apocalypſi S. Joannis ait: *Ego, quos amo, arguo, & caſtigo.* (*l*)

III. Clarum hujus rei exemplum habemus in Benigniſſimo, & mitiſſimo JESU, qui leves ſuorum diſcipulorum defectus magna ſæpe verborum aſperitate punivit. S. Petrum ex fervido, ſed imperfecto amore, ſibi ſuæque Paſſioni obloquentem, vocavit *Sathanam*, eúmque *retro* juſſit *poſt ſe* abire. (*m*) Duos Diſcipulos euntes in Emaus, plus æquo triſtes ob mortem Magiſtri ſui, appellavit *ſtultos, & tardos corde ad credendum.* (*n*)

IV. Alios quoque Apoſtolos ob modicum fiduciæ defectum, in dœmone ab energumeno eijciendo commiſſum, verbis ſeveris,

veris, vultúque irato ſic increpuit. *O generatio incredula! quouſque ero vobiſcum? quouſque patiar vos?* (o) Denique, cùm è mundo eſſet abiturus ad Patrem ſuum, recumbentibus undecim Diſcipulis apparuit, & pro ultima valedictione *exprobravit* illis *incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* (p)

V. Poſt JESUM inter homines mitiſſimum, nihil eſt manſuetiùs MARIA Matre ejus: & tamen hæc pia, & clemens Virgo ſatîs acerbè ſuorum errata Clientum quandoque corripuit. Alphonſum Rodriquez, eximiæ Sanctitatis virum, propter unum, eúmque fortuitum mulieris aſpectum verbis ſerijs & ſeveris perſtrinxit, uti legitur in vita ejus. (q)

VI. Hermanno, alias *Joſeph*, dicto, eadem DEI Mater in forma rugoſæ anûs apparens, tali ejus in cultu ſuo deſidiam increpuit ſermone: *En, qualem exteriùs me cernis, talis interiùs in tuo ſum animo.* (r)

VII. Thomas à Kempis, dum Juvenis adhuc litteris operam daret, & nimio ſtudiorum amore abſorptus, nonnihil in cultu Deiparæ languere inciperet, hanc Virginis

iratæ meruit increpationem. *O crudelis inimice! ubi nunc conſuetæ preces tuæ? quomodo in te refrixit charitas? & pietas quondam habita vacillavit? Abi, abi à me; Indignus es amore meo, qui tam faciles preces neglexiſti.* (s)

VIII. Da veniam, ô dulcis Virgo, ſi parùm audeo loqui pro ſervulo tuo. Cur ita, ô Mater omnium amantium te, cur ita ſuccenſes bono Juveni? cur ita loqueris tuo Clienti? quid is peccavit? in quo deliquit? quomodo promeruit, ut *hoſtis tuus* dici potuerit? Cur eum vocas *inimicum crudelem*, qui nullam culpam admiſit lethalem? cur eum, velut indignum, *à te repellis*, qui nec offenſæ reus eſt venialis?

IX. Nonne preces, quas tibi ſponte atque ultro obtulit, etiam ſponte atque ultro omittere potuit? Bene fecerat eas antea perſolvendo: Orandi enim conſuetudo fuit, & bona voluntas; non autem obligatio, ſeu dura neceſſitas. Cùm ergo nullum hic Juvenis violaverit mandatum, cur eum ſic arguis, quaſi grande commiſiſſet peccatum?

X. Au-

X. Audio, quid dicas, & quid reſpondeas, ô Virgo, quæ amas animas. *Imperfectum ejus viderunt oculi tui:* (t) unde is nomen meruit habere *inimici.* Quicunque enim voluntatem DEI *perfectam* non facit, ſe tibi quaſi hoſtiliter opponit, cùm omnis tepiditas in ſervitio DEI, & omnis imperfectio in ſtudio virtutum ſit tibi, tuóque filio ingrata, & quodammodo inimica. An illum, inquis, habeam pro charo filio, próque amico fideli, qui me quidem amat, ſed tepidè; me colit, ſed frigidè; mihi ſervit, ſed imperfectè? quomodo eum amare, laudare, & ſingulari favore proſequi poſſum, de quo veritas dicit: *Maledictus, qui facit opus DEI negligenter?* (u)

XI. Hæc illa. Tu verò, ſi lubet, ita cogita. Si Bonitas JESU, ſi Charitas MARIÆ, ſit adeo ſevera in homines, qui pleni ſunt ſanctitate, quid mirum, atque inſolitum ſit, ſi tuos quoque defectus quandoque arguat ſuperior tuus, aut Confeſſarius, qui & ipſi aguntur zelo ſalutis tuæ, qui Spiritum Chriſti habent, & ſenſum MARIÆ in ſuo gerunt pectore?

Digitized by Google

CITATIONES.

(a) Pſalm. 68. 24. (b) Apoc. 22. 11. (c) S. Gregor. *lib.* 1. *moral. cap.* 12. (d) Jac. 1. 13. (e) S. Doroth. *ſerm.* 5. (f) Prov. 18. 3. (g) S. Damaſc. *in vita* SS. *Barlaam*, & *Joſaphat*, *cap.* 19. (h) S. Thom. 1. 2. *q.* 88. *a.* 5. *ad.* 1. (i) S. Auguſt. *ſerm.* 88. *de tempore.* (k) Hebr. 12. 7. (l) Apoc. 3. 19. (m) Matth. 16. 23. (n) Luc. 24. 25. (o) Marc. 9. 19. (p) Marc. 16. 14. (q) Lancicius *Tom.* 2. *opuſc.* 16. *cap.* 4. *num.* 9. (r) Idem *loc. cit.* (s) Roſweidus *in vita ejus.* (t) Pſal. 138. 16. (u) Jerem. 48. 10.

Caput Decimum De DECIMA RATIONE ET CAUSA, DOLENDI DE EODEM TRIPLICI REATU.

§. I.

De gravitate peccati mortalis, propter multiplicia mala in alios non peccantes redundantia.

I. Pec-

Digitized by Google

I.

PEccatum mortale etiam alijs non peccantibus officit. Sic enim ſcriptum eſt: *Ego ſum Dominus DEUS tuus, fortis Zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, eorum, qui oderunt me.* (a) Item: *Regnum à gente in gentem transfertur, propter injuſtitias, & dolos.* (b)

II. Unus Adam peccavit, & tota poſteritas ejus peccati pœnas dedit. (c) Unus Achan furtum commiſit, & omnis Iſraël cladem tulit. (d) Unus Sichem patravit ſcelus, & tota urbs orbata eſt civibus. (e) Unus Giezi commiſit crimen avaritiæ, & lepra Naaman toti ejus adhæſit familiæ. (f) Unus Heli peccata filiorum non puniendo deliquit, & omnis populus, unà cum Arca DEI, ludibrium ac præda hoſtibus fuit. (g)

III. Ita, ô homo, quiſquis es, peccando non tibi ſolùm, ſed & alijs quoque noces. Noces familiæ, quam gubernas; noces cognationi tuæ, quam habes; noces reipublicæ, cujus pars es; noces urbi, quam inhabitas; noces Patriæ, noces Eccleſiæ,

quæ

quæ tibi vitam, fidémque contulerunt; noces orbi terrarum, quem pedibus tuis calcas; noces Cælo ipſi, quod tuis ſceleribus inhonoras.

IV. Quid ſi DEUS tuis iratus, & irritatus ſceleribus hactenus immiſerit, atque etiamnum immittat, & poſthac immiſſurus ſit bellum Provinciæ, peſtem Patriæ, famem terræ, cladem reipublicæ, ſchiſma Eccleſiæ, tibi tuíſque mala corporis & animæ;

§. II.

De malitia peccati venialis propter impedimentum (cuius eſt cauſa) peculiarium favorum, & gratiarum Dei.

I.

PEccatum veniale impedit favores extraordinarios, & gratias peculiares DEI: id quod Albertus Magnus teſtatur his verbis: *Argumentum ingratitudinis habet, quando aliquis obſtruit cor ſuum aliqua mala voluntate, vel rancore, vel levitate,*

Digitized by Google

vitate, vel delectatione temporali, vel amicitia carnali, præ quibus non poteſt dona ſpiritualia percipere. (*b*)

II. Dona DEI in gemina ponuntur claſſe. Alia enim naturalis ſunt ordinis: alia, ſupernaturnalis. *Dona naturalis ordinis* ſunt v. g. vires integræ, ſanitas conſtans, forma liberalis, familia nobilis, bona educatio, honeſta ſuſtentatio, bona indoles, mores amabiles, amor hominum, favor Magnatum, amplæ facultates, dignitates honorificæ, diuturnitas vitæ, claritas famæ &c.

III. *Dona ſupernaturalis ordinis* ſunt v. g. Divinæ illuminationes in intellectu. Sanctæ, piæque commotiones in voluntate. Profectus in virtute. Augmentum gratiæ. Meritorum cumulus. Peculiaris protectio DEI. Cura & directio Confeſſarij boni. Amotio periculorum. Malarum ſublatio occaſionum. Elongatio à pravis ſocijs. Remiſſio culpæ. Emendatio vitæ. Stabilis horror mali. Conſtans inclinatio ad bonum. Inſtigatio ad ſublimem virtutis gradum. Vocatio ad ſtatum religioſum. Gratiæ gratìs datæ. Functiones DEO glorioſæ. Munia

nia utilia proximo, ſalutíque propriæ conducentia, &c.

IV. Et hæc & illa DEI dona, ac beneficia ſæpe tolluntur, vel certè minuuntur per peccata venialia. Priora quidem, hoc eſt, *dona naturæ*, ex juſta vindicta DEI. Poſteriora verò, hoc eſt, *dona gratiæ*, ex ipſa natura peccati: ſicut enim ignis conſumit lignum, & ignem extinquit aqua, ita peccatum fugat Spiritum Sanctum, ejúsque dona peſſundat.

V. Et certè experientiâ conſtat, eos, ſive juvenes ſint, ſive viri, qui facilè ac temerè venialia peccata committunt, nihil præclaræ dotis, aut ſolidæ virtutis poſſidere in anima ſua. Eorum, ſi lubet, expende qualitatem morum, & magnam donorum DEI cernes egeſtatem.

VI. Illi, uti haud operoſum erit animadvertere, raró ac tepidè orant, parùm cogitant de DEO, vix quidquam agunt pro cælo: ſpiritualia cum faſtidio audiunt; ſe totos devovent mundo; & nihil fere ſapiunt, niſi, quod terrenum eſt: divitias optant, delicias amant, voluptati ſerviunt, vanitatíque obediunt.

VII. Nunquam illi triſtari, nunquam dolere volunt, ſed ſemper lætari, ſemper ridere geſtiunt; gaudia cogitant de die, gaudia ſomniant de nocte; vacant luſibus, gaudéntque jocis: potibus indulgent, inhiant cibis; ſectantur amicitias, amoribus oblectantur. Viros ſerios & graves devitant, ſocios quærunt dyſcolos, ſuóque genio accommodatos.

VIII. Quidquid arduum eſt, ac durum, hoc illi averſantur, ac removent; quidquid verò molle ac delicatum, amplexantur ac retinent. In loquendo ſunt inconſiderati, in ſentiendo imprudentes, luridi in operando. Nihil pium latet in corde; nihil ſanctum prodit ex ore; nihil divinum apparet in opere.

IX. Atque hæc viva effigies, & vera imago eſt, hominis facilè venialiter peccantis, & magnâ donorum DEI inopiâ laborantis.

§. III.

De malo effectu moralis imperfectionis, qui eſt, impedimentum vocationis divinæ ad ſtatum perfectionis.

I.

MOralis imperfectio reddit vocationem DEI difficilem, ac ſæpe inefficacem. Quemadmodum enim *humor malignus*, illabens oculis vel auribus, impedit viſum, vel auditum; ſic *moralis imperfectio* occupans mentem hominis, eum cæcum quodammodo, ſurdúmque facit: *ſurdum*, ne audiat vocantem DEUM; *cæcum*, ne videat mala mundi, & bona ſtatûs Religioſi.

II. Hæc dicit Dominus: *Audite ſurdi, & cæci intuemini, ad videndum. Quis eſt cæcus niſi ſervus meus? & quis ſurdus, niſi is, ad quem miſi nuncios meos?* (i)

III. Cæcus & ſurdus ille olim fuit Adoleſcens, quem Chriſtus vocavit ad ſuî ſequelam, dicens: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus,*

ribus, & veni, & ſequere me. (k) Sed quare cæcus? & quare ſurdus? an propter grave flagitium, vel facinus enorme? haudquaquam. *A puero timuit DEUM, ejúſque mandata ſollicitè cuſtodivit*, unde etiam meruit à Chriſto ſingulariter amari, ac blandiùs ad ſe vocari.

IV. Quare ergo cæcus? & quare ſurdus? una imperfectio, & levis defectus clauſit oculos, atque aures ejus. Cùm audiſſet Adoleſcens verbum, *abijt triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones.* (l) Multarum poſſeſſio divitiarum, & pingue patrimonium nullius tranſgreſſio erat legis, & conſequentur nullum peccatum.

V. Et tamen erravit hic Adoleſcens, minúſque rectè egit, dum rei, quam juſtè habuit, plùs juſto adhæſit, unde maluit ad breve tempus ſuis uti, fruiſque divitijs, quàm eas pauperibus elargiri, & Chriſti fieri diſcipulus. Hæc juvenis minùs ordinata affectio, non niſi moralis imperfectio fuit, utpote non præcepti, ſed tantùm conſilij divini transgreſſio: nihilominus ob unicam hanc imperfectionem, longè maximam amiſit felicitatem.

VI. Nam triſtis abijt, & Chriſtum reliquit: valedixit DEO, & ſervivit mundo: deſeruit vitam, ut quæreret mortem: neglexit ſuam vocationem, & fortaſſe perrexit in certam perditionem. Novit enim Deus, atque is, quem ipſe reliquit, Chriſtus, quis hujus Adoleſcentis denique fuerit exitus. Certè facilis & valde proclivis eſt aditus per divitias ad vitia; per vitia autem æquè pronus ad interitum progreſſus.

VII. Multi ſunt hodie juvenes, qui ſequuntur hunc adoleſcentem in non ſequendo DEUM vocantem, dum ſcilicet rebus terrenis intenti, cælíque immemores, ſuos à DEO avertunt oculos, aurésque obturant.

VIII. Hæc dicit Dominus DEUS tuus: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; & veni in terram, quam monſtrabo tibi.* (*m*) Audi, Fili, & cave, ne obſurdeſcas ad audiendam vocem DEI; ne cæcutias ad videndam dignitatem vocationis tuæ. Hodie ſi vocem ejus audiêris, noli obturare cor tuum, ſed *inclina aurem tuam, & obliviſcere domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* (*n*)

IX. Vo-

IX. Vocaris ad nuptias Agni, & invitaris ad cœnam regalem; cura igitur, ut habeas ſtolam mundam, tecúmque afferas nuptialem veſtem. Veſtis autem nuptialis, & ſtola gloriæ eſt, puritas conſcientiæ, & ſanctitas vitæ: hanc obtinebis, ſi facias bona; illam habebis, ſi fugias mala.

X. Ut ergo magnum obtineas bonum, hoc eſt, DEUM, *quieſce malè agere*: & ut magnum evites malum, hoc eſt, mundum, *diſce bene facere.* (*o*) Nam mundus in maligno poſitus eſt, & nemo, qui mundum inordinatè diligit, cor mundum ab iniquitate ſervat. *Per bona opera fac certam vocationem tuam.* (*p*) Et cave, ne propter imperfectiones, & peccata tua DEUS tibi ſubtrahat gratiam ſuam.

XI. *Aſſimilare capreæ, hinnulóque cervorum, & fuge in collem thuris, in montem aromatum.* (*q*) Egredere de Sodoma, & de Ur Chaldæorum, ut libereris à flamma, & venias in terram Sanctorum. Si nutui parebis divino, *centuplum accipies in hoc ſæculo, & vitam æternam* (*r*) *in futuro.*

XII. Si verò duræ cervicis fueris, Deó-

quæ dixeris : *Recede à me, ſcientiam viarum tuarum nolo*, (s) malè olim habebis in noviſſimo; quando nimirum vocem audies crudelem, verbum aſperum, & ſententiam irrevocabilem : *Vocavi, & renuiſti : extendi manum meam, & non reſpexiſti. Ego quoque in interitu tuo ridebo, & ſubſannabo, cùm tibi, quod timebas, evenerit.* (t)

XIII. Jure merito ſanè feritur hoc jaculo maledictionis, qui propter ſuam imperfectionem neglexit ſtatum perfectionis. Sicut enim ingens eſt DEI benignitas, hominem ad ſe vocantis, ita grandis hominis temeritas eſt, DEUM à ſe repellentis.

CITATIONES.

(a) Exod. 20. 5. (b) Eccli. 10. 8. (c) Gen. 3. 6. (d) Joſue 6. 7. (e) Gen. 35. 25. (f) 4. Reg. 5. 27. (g) 1. Reg. 4. 8. (h) Albert. Mag. *in parad. animæ cap.* 25. (i) Iſai. 42. 18. (k) Matth. 19. 20. (l) Matth. 9. 22. (m) Gen. 12. 1. (n) Pſalm. 94. 9. (o) Iſai. 1. 16. (p) 1. Petri. 8. 14. (q) Cant. 8. 14. (r) Matth. 19. 29. (s) Job. 22. 14. (t) Prov. 1. 24.

Digitized by Google

Caput Undecimum.

DOLOR ACTUALIS, SIVE ACTUS CONTRITIONIS DE PECCATO MORTALI, VENIALI, ET MORALI IMPERFECTIONE SEORSIM SUMPTIS.

§. I.

Oratio Regis Manaſſis, innumera & valde enormia ſcelera ſua lamentantis.

I.

Domine omnipotens, DEUS Patrum noſtrorum, quem omnia pavent, & tremunt à vultu virtutis tuæ. Peccavi ſuper numerum arenæ maris: multiplicatæ ſunt iniquitates meæ, & non ſum dignus intueri altitudinem cæli, præ multitudine iniquitatum mearum. Incurvatus ſum, & non eſt reſpiratio mihi, quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci.

II. Et nunc flecto genua cordis mei, precans à te bonitatem. Peccavi, Domi-

ne, peccavi, & iniquitates meas agnoſco: quare peto, rogans te: remitte mihi, Domine, remitte mihi; & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis; neque in æternum iratus, reſerves mala mihi; quoniam tu es DEUS meus, Dominus altiſſimus, benignus, longanimis, & multùm miſericors, & pœnitens ſuper malitias hominum.

Oratio Regis Davidis, homicidium, & adulterium, & alia ſua peccata deplorantis.

III. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodiêrunt legem tuam. DEUS tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita. Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſæculo ſunt. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte univerſa delicta mea; quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam, ſuſtinui te.

IV. Domine in furore tuo, ne arguas me;

me; neq; in ira tua corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmâſti ſuper me manum tuam. In me tranſiêrunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Ne avertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſervo tuo. Adjutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me, DEUS ſalutaris noſter.

§. II.

Oratio S. Anſelmi, plangentis levia & venialia peccata.

I.

O Anima mea ærumnoſa! anima miſera miſeri homunculi! Excute torporem tuum. Quid agis? quid torpes? ô anima peccatrix! En dies Judicij venit, & juxta eſt dies Domini magnus, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. O vox Domini amara! Quid dormitas? ô anima tepida! ô arbor infructuoſa, digna ſuc-

ſuccidi, & ſuccendi. Quinam, & ubi ſunt fructus tui? ubique ſpinæ pungentes, & amara peccata. Utinam te pungerent, & confringerentur, & ſic amareſcerent, ut evaneſcerent! Fortè parvum quid putas eſſe aliquod peccatum? Sed heu me! nónne omne peccatum per prævaricationem DEUM inhonorat? Quod ergo peccatum peccator audebit dicere parvum? DEUM enim inhonorare, quando eſt parvum?

II. O lignum aridum, & inutile! quid reſpondebis in illa die, cùm exigetur à te, uſque ad nictum oculi, omne tempus vivendi tibi impenſum, qualiter fuerit expenſum. Tunc quippe condemnabitur, quidquid fuerit inventum operis, vel otij; ſermonis, vel ſilentij, non ad DEI voluntatem directi. Væ! quot peccata prorumpent tibi ex improviſo, & quaſi ex inſidijs; quæ modò non vides, aut mala eſſe non putas, aut bona eſſe credis, tunc facilè nudata apparebunt ingentia peccata. O JESU clemẽtiſſime, reſpice in me, & miſerere mei, méque erue de multitudine iniquitatũ mearum. Peccavi, Deus, miſerere mei. Peccavi, Deus, propitius eſto mihi peccatori.

Oratio

Oratio Ludovici Bloſij, lugentis leviora errata, & delicta.

III. O Pater miſerationum, Pater inexhauſtæ miſericordiæ! O DEUS totius conſolationis! quàm tepidè & oſcitanter, tot annos in tuo ſervitio ſine ullo fructu conſumpſi! quàm modicam commiſſorum egi pœnitentiam! quàm raró tibi pro acceptis beneficijs debitas gratias perſolvi? quantùm adhuc horreo contemni, & irrideri ab hominibus? quàm longè adhuc abſum à vera illa humilitate Chriſti! quàm ſum moroſus ac difficilis, quàm invitus & ſuperbus! quàm citò lætis proximi ſucceſſibus offendor! & contrà quàm facilè infortunijs ejus lætor! nec bonis ejus congaudeo! quàm citò in proximum ob rem non admodum ſeriam excandeſco! quàm ſiniſtris ſæpe ſuſpicionibus agitor!

IV. Has omnes iniquitates meas, ô Clementiſſime JESU, ex corde deteſtor; & doleo, quòd nimis parùm doleam. Utinam vulneres cor meum dolore perfectiſſimæ contritionis! O Pater Domini noſtri JESU Chriſti, per merita ejus, miſerere mei; quia

 nihil

nihil tibi impoſſibile eſt, quàm miſeris nolle miſereri. Quid aliud ego infelix, & miſer poſſum, quàm errare, & peccare? Et quid tu, ô optima, & infinita Bonitas, aliud potes, quàm miſereri, & parcere? Fac ergo ſecundùm bonitatem tuam, quia ego infelix, non ceſſo agere ſecundùm malitiam meam.

§. III.

Oratio Thomæ Kempenſis, dolentis de imperfectionibus; & culpis venialibus.

I.

O dulciſſime JESU! quid poſſum agere pro erratis, & imperfectionibus meis, niſi humiliter ea confiteri, & lamentari, & tuam inceſſanter propitiationem deprecari! Ingemiſco ergo, & doleo, quòd adhuc tam carnalis ſim, & mundanus; tam immortificatus in paſſionibus, tam plenus concupiſcentiarũ motibus; tam incuſtoditus in ſenſibus; tam ſæpe multis vanis phantaſijs implicatus; tam multùm inclinatus ad exteriora; tam

tam negligens ad interiora; tamlevis ad riſum & diſſolutionem, tam durus ad fletum & compunctionem; tam promptus ad laxiora & carnis commoda, tam ſegnis ad rigorem & fervorem; tam incompoſitus in moribus; tam importunus in actibus; tam curioſus ad nova audienda, & pulchra intuenda, tam cupidus ad multa habenda; tam remiſſus ad humilia & abjecta amplexāda; tam cupidus ad multa habenda; tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum.

II. Ingemiſco, & doleo, quòd tam inconſideratus ſim in loquendo; tam incontinens ad tacendum; tam effuſus ſuper cibum; tam ſurdus ad DEI verbum; tam velox ad quietem; tam tardus ad laborem; tam tepidus in orando; tam aridus in communicando; tam citò diſtractus, tam raró plenè tibi collectus; tam ſubitò commotus ad iram; tam facilis ad alterius diſplicentiam; tam pronus ad judicandum; tam rigidus ad arguendum; tam lætus ad proſpera; tam debilis in adverſis; tam ſæpe multa proponens, & modicum ad effectum producens. O Pater miſericordiarum! miſerere mei; & da mihi de tua omnipotentia vires

res reſiſtendi omnibus, quæ tibi ſunt contraria: & de tua inſcrutabili ſapientia da mihi cautè prævenire omnia, quæ oculos tuæ puritatis in me offendere poſſent: atque ex ſuperabundantia pietatis tuæ concede mihi, tam ſtabili fidelitate tibi adhærere, ut nunquam vel in minimo à te diſcedam.

Oratio Ioannis Landſpergij, nævos inculpabiles & culpabiles deplorantis.

III. O DEUS ſcrutans corda, & renes! Si meipſum conſidero, ac ſine ſimulatione dijudico, nihil purum, nihil ſanctum, nihil omni ex parte integrum in me invenio. Etiam bona, quæ facio, non eâ ſunt puritate intentionis, nec eo devotionis fervore, quo fieri deberent: unde omnes juſtitiæ meæ ſimiles ſunt panno menſtuatæ. Confiteor, ac deteſtor omnem hypocriſin, ac ſuperbiam meam; quòd foris melior velim putari, quàm intus inveniri; quòd nimis erubeſcam de naturalibus meis defectibus, & vitia mea abſcondam, non timore, quòd alijs noceam, ſed metu diſplicendi, & ne vilipendar; quòd per bona, quæ oſtendo, velim

Digitized by Google

velim videri, & placere hominibus, ut ex his, quæ fiunt in aperto, ſuſpicentur, me multò plura, & majora habere in occulto.

IV. Confiteor, & deteſtor meam ſocordiam, quòd cum tentationibus vitiorum, maximè carnalium, ita pugnem deſidiosè, ut ſolo timore periculi, vel pudore confuſionis eas repellam, ſolo conſenſu operis, & moroſæ delectationis excluſo. Quòd ita piger, & iners ſim ad ea, quæ DEI ſunt, & ad virtutis, devotionísque ſtudium pertinent, ut pudor humanus plura ex me, vel à me extorqueat, quàm amor divinus. Quòd ité ſim ingratus Dei beneficijs, ut non ſolùm debitas non agam gratias de perceptis, ſed etiam dona ultrò oblata in vacuum recipiam, occupans me ſtudijs vanis, quæ nihil ad ſalutem conferunt. Quòd illa, ad quæ teneor, tam negligenter perſolvam, ut non tam meritum, quàm ſupplicium inde exſpectem. O miſericordiſſime Domine, DEUS meus! mihi quæſo ignoſce. Clementiſſime Domine JESU Chriſte, miſerere mei, propter nimiam charitatem, quâ me diligis; & per amorem illum, obſecro, quo pro-

propter me pependiſti in cruce, ignoſce omnibus negligentijs, & peccatis meis: parce omnibus erroribus, vitijs, & concupiſcentijs, omníque prorſus ingratitudini meæ, ac totius mundi. Amen.

Caput Duodecimum.

DOLOR ACTUALIS, SIVE ACTUS CONTRTIONIS DE PECCATO MORTALI, VENIALI ET MORALI IMPERFECTIONE SIMUL SUMPTIS.

§. I.

Humilis confeſſio peccatorum & dolor de iisdem.

I.

O miſericordiſſime Pater! Pater miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis! Pater amantiſſime! Peccavi, & malum coram te feci: jam non ſum dignus vocari filius tuus. O DEUS meus, & omnia! quoniam jure à me, & ab omnibus creaturis ſuper omnia amandus es! quia infini-

infinitè bonus es, pœnitet me ex animo, te vel ſemel à me læſum eſſe.

II. Doleo medullitus, quòd ego ſummè malus, te ſummè bonum, ſceleribus meis graviſſimè offenderim. Doleo purè propter te, infinito amore, honore, & obſequio digniſſimum de univerſis totius vitæ meæ peccatis, negligentijs, & offenſis. O utinam te nunquam offendiſſem, nec offenderem poſthac in æternum!

III. Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Miſerere mei, DEUS, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates meas, quas ex puriſſimo tui amore deteſtor.

§. II.

Poſtulatio veniæ & propoſitum emendationis.

I.

AH! JESU mi. Propitius eſto mihi peccatori, cujus gratiâ homo naſci, & mori dignatus es. Lava me, obſecro, in Sanguine tuo, & ſuper nivem dealbabor.

O vos

O vos quinque amoris, & Vulnerum fontes, per ego vos infinitam lavandi vim rogo, quæsóque, ut animæ meæ ſordes lavetis, & eluatis, Amen.

II. O MARIA, mater mea dulciſſima, præſentiſſimum mei peccatoris refugium! Impetra mihi à Dilectiſſimo Filio tuo, mei amore crucifixo, verè dolendi, & amandi, gratiam, omniúmque peccatorum meorum clementiſſimam veniam.

III. Propono firmiter, mi DEUS, coram Sacratiſſima Virgine MARIA, Sancto Angelo Cuſtode meo, & Sanctis Patronis meis, omnibúſque Sanctis, nunquam ampliùs te offendere, commiſſa peccata confitendo expiare, peccandi occaſiones vitare, & Sanctiſſimæ voluntatis tuæ beneplacitum deinceps in omnibus perfectè adimplere.

§. III.

Oblatio meritorum Chriſti, & Sanctorum eius, cum ſpe, & fiducia in DEUM.

I.

IN ſatisfactionem autem peccatorum meorum, & ad eorum veniam, gratiæque

tuæ

tuæ auxilia efficacia impetranda, offero imprimis Divinæ majeſtati tuæ pretioſam paſſionem, mortem, & univerſa merita Filij tui, Domini noſtri JESU Chriſti, ejusdémque Sanctiſſimæ Matris, & omnium Sanctorum opera ſatisfactoria.

II. Offero præterea, omnem reliquam vitam meam, quam deinceps in tuo Sancto timore, amore, & obſequio, ad majorem gloriam tuam promerendam ſeriò laborabo impendere.

III. Confido interim in Bonitate tua, & miſericordia infinita, quòd per ejusdem Filij tui merita, & Sanctorum patrocinia, mihi clementiſſimè remiſſurus ſis omnia peccata mea, gratiámque uberem largiturus, quâ deinceps vitam Sanctè, juxta legem mandatorum inſtituam, tibíque perfectè uſque ad extremum halitum ſerviam, ac tandem corde contrito, & humiliato, inter ardentiſſimos fidei, ſpei, & charitatis actus piè moriar, & cum omnibus Sanctis Majeſtatem tuam cognoſcam, amem, & glorificem per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

APPENDIX
MONTIS
MYRRHÆ.

In qua

TRADITUR COMPENdioſa praxis rerum agendarum, ante, in, & poſt Confeſſionem.

Caput Primum.

De

AGENDIS ANTE CONFESSIONEM.

§. I.

De examinanda conſcientia.

I.

ANte judicium interroga teipſum, & in conſpectu DEI invenies propitiationem. (*a*) Ante Sacramentum pœnitentiæ tuam

tuam rimare conſcientiam, ut per veram confeſſionem peccatorum, plenam eorum remiſſionem obtineas. Interroga igitur temetipſum, in quo Dominum DEUM tuum offenderis. Cogita cauſas, & motiva contritionis, ut cum dolore de tuis te accuſare valeas peccatis. Inquire porrò, quid deinceps velis agere, ut ſeria vitæ ſequatur emendatio.

II. Hæc tria ſi bene, ritéque peregeris, ſufficienter te paràſti ad Sacramentalem confeſſionem. Tota enim pœnitentiæ præparatio in hoc triplici exercitio conſiſtit: nimirum in Recordatione peccatorum; in Dolore de peccatis, & in Propoſito emẽdationis.

III. Neceſſe igitur eſt, ut is, qui bonam inſtituere vult confeſſionem, ante omnia ſuam recolligat mentem, séque, poſitis tantiſper alijs negotijs & occupationibus, totum huic impendat. Quemadmodum enim nihil charius, & nihil pretioſius homo ſuâ animâ habet, ita nihil illius ſaluti, & ſpirituali utilitati præferre debet, juxta illud Servatoris noſtri effatum. *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò detrimentum patiatur?* (b)

IV. At, quia non tantùm agnitio & recordatio peccatorum, ſed etiam illorum Confeſſio ſupernaturale DEI donum eſt, ſtatim principio hujus operis, gratiam pete à DEO, Sanctúmque invoca Spiritum, orando unum alterúmve *Pater*, & *Ave*; vel hymnum, *Veni creator*; aut ſi malis, hâc, vel aliâ ſimili utere oratione.

V. *Domine JESU Chriſte, vera mundi lux, illuminans omnes, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, illumina per Sancti Spiritûs tui gratiam cor & conſcientiam meam, ut perfectè, quidquid Divinæ Majeſtatis tuæ oculos offendit, cognoſcere, & illud vera contritione, humili confeſſione, & digna ſatisfactione, expiare valeam. Qui vivis & regnas cum DEO Patre, in unitate ejusdem Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

VI. Ingredere porrò temetipſum, & incipe ſcopare ſpiritum tuum. Tuæ maculas indaga conſcientiæ, & vide, quid ab ultima confeſſione deliqueris contra DEUM, Proximum, Teipſum, cogitatione, verbo, opere, & omiſſione, quoad ſpeciem, & quoad numerum.

Digitized by Google

VII. Ut autem facilior peccatorum ſit recordatio, memento temporis, loci, & perſonarum, quibus cum verſatus es, hîc vel alibi, quando hoc vel iſtud feciſti, dixiſti, cogitâſti. Hoc verò ut majore cum fructu peragas, duo ſolerter obſerves velim. *Primò*. Ne nimiam, & nimis longam in peccatis inquirendis adhibeas curam. *Secundò*. Ne debitam, & neceſſariò requiſitam in mentis diſcuſſione omittas diligentiam.

VIII. Utrumque enim prudentiæ adverſatur. *Prius*, quia, propter nimis longam moram examinis, decurtatur tempus eliciendæ contritionis. *Poſterius*, quia propter defectum debitæ præparationis periculum oriri poteſt invalidæ confeſſionis.

IX. Denique peccata, quæ tibi occurrunt, manda memoriæ, vel ſi lubet, etiam chartæ inſcribe.

§. II.

De elicienda contritione.

I.

FInito examine, ſeu diſcuſſione conſcientiæ, paulatim ad eliciendam contritionem

tionem te accinge. Cogita DEI bonitatem, & magnitudinem, ut tuam ingratitudinem & malitiam agnoſcas. Recole beneficia, quæ accepiſti; bona, quæ amiſiſti; & mala, quæ meruiſti; doléque ex animo, quia DEUM tam bonum, tam magnum, tam liberalem offendiſti.

II. Doleas autem, vel ſaltem dolere velis ex affectu, & motivo, quàm potes, optimo, conando nimirum, magìs conteri ex amore filiali erga DEUM, quàm ex timore ſervili atteri erga eundem. Quò enim pretioſius eſt motivum doloris, eò copioſius eſt meritum ſatisfactionis: & quò præſtantior eſt dolor peccatoris, eò abundantior eſt remiſſio peccatorum, adeo ut talis exiſtat fructus in Sacramento pœnitentiæ, qualis eſt actus, ſive affectus in animo pœnitentis.

III. Si propter duritiam cordis, vel aliam animi indiſpoſitionem nequeas perfectam contritionem elicere, excita talem, qualem poteris, in animo tuo compunctionem. Si namque velis confiteri, & ſanari per pœnitentiæ Sacramentum, neceſſariò habere debes dolorem, vel perfectum, vel imperfectum, hoc eſt, vel contritionem, vel attritionem;

tionem: aliàs nulla, aut etiam ſacrilega tua erit Confeſſio.

IV. Dole igitur eo, quo vales, meliore modo, juxta præſentem neceſſitatem, tuarúmque qualitatem virium. Si langueat affectus ad ſummum amorem DEI, cogatur animus ad magnum horrorem inferni. Si non ſufficiat conſideratio gratioſæ DEI clementiæ, defectum ſuppleat rigoroſæ ejus recordatio juſtitiæ. Si te non moveant beneficia, & miſerationes DEI, cogita ſupplicia, pœnáſque peccati. Præſtat enim imperfecto conteri dolore, rectéque confiteri, quàm vel confeſſionem omittere, vel confitendo prævaricari.

V. Si vacat, & lubet, poteris ex hoc, vel alio libro legere unum alterúmve motivum dolendi, ut hujus ſubſidio lectionis, paulatim ad actum contritionis diſponaris. Et ſi fortè mens tua ex illa lectione incaluit, mox animum erige ad DEUM, atque competentem affectum doloris, prout præſens devotio, Sanctíque Spiritûs gratia te monet, movétque, exerce. Vel oretenus ſequentem recita contritionis formulam.

Actus contritionis.

VI. Domine JESU Chriſte, verus DEUS, & verus Homo, Creator, & Redemptor meus, doleo ex toto corde, quòd te offenderim; quia tu es DEUS, & te amo ſuper omnia; firmitérque ſtatuo, nunquam poſthac peccare, & omnes peccandi occaſiones devitare: propono quoque peccata mea confiteri, pœnitentiam, quæ injuncta fuerit, exſolvere, &, ſi quid alicui debeam, reſtituere. Amore etiam tui, remitto injuriam, à quocunque mihi illatam. Inſuper ad expianda peccata mea offero Majeſtati tuæ, vitam, labores, & bona opera mea univerſa. Ut verò humillimè peccatorum meorum remiſſionem efflagito, ita confido, ab infinita Bonitate tua, per merita Sanctiſſimæ Paſſionis, Sanguinis, & Mortis tuæ, ea mihi remittenda, præſtandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in ſanctiſſimo ſervitio tuo in finem uſque perſeverem. Amen.

VII. Actum contritionis elicere poteris, aut ſtatim domi tuæ, finito examine, vel poſtea in templo ante ingreſſum confeſſionalis.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De eadem contritione, & adiuncto illi Propoſito.

I.

Cùm contritio ſit magìs utilis, magíſque neceſſaria pars Sacramenti pœnitentiæ, plus ei conatûs, plus laboris, & temporis impende; ſed citra angorem, & ſcrupuloſam ſollicitudinem.

II. Certè, (uti jam ſuprà inſinuatum) minùs bene ſibi conſulunt, Deóque minùs ſatisfaciunt, qui recordationi peccatorum nimis prolixam, valdéque ſollicitam impendunt operam, dolori verò de peccatis non niſi brevem, & perfunctoriam curam. Sic enim multum efficaciæ demitur Sacramento confeſſionis; multùm amittitur de merito ſatisfactionis, fructúſque emendationis non parùm impeditur.

III. Interim tamen noli triſtari, mœroréque inutili angi, ſi nullo interiùs te ſentias tangi ſenſibili dolore. Dolor enim ſenſibilis, licèt contemnendus non ſit, ſi poſſit

haberi, nunquam tamen anxiè quærendus eſt volentibus confiteri.

IV. Si tuum tibi ex animo diſplicet peccatum, propter DEUM, quem offendiſti, ſuper omnia dilectum, jam verum habes dolorem, córque contritum & humiliatum, licèt nulla ex oculis proſiliat lachrima, nulla ex præcordijs erumpant ſuſpiria, nullâ pectus anguſtiâ conſtringatur.

V. Ille, qui verè ac ſeriò dolet de peccatis ſuis, hoc ipſo etiam habet emendationis propoſitum, licèt hoc neque cogitet corde, neque ore pronunciet: ſicut enim calor in igne, ſic propoſitum continetur in contritione.

VI. Et verò vix fieri poſſe videtur, ut quis eodem tempore præteritam malitiam execretur, & ſimul amplectatur futuram; atque adeo, dum nollet offendiſſe DEUM, velit eumdem poſthac offendere.

VII. Hinc doctorum judicio virorum ſufficit ad valorem Sacramenti, explicitum elicere dolorem de peccatis, cum implicito ſeu virtuali propoſito emendationis. Nihilominus utilis doctrina eſt, ut quivis peccata ſua confeſſurus, conetur etiam formale,

Digitized by Google

le, atque expreſſum formare propoſitum. Per hoc enim devotio fit major, contritio melior, confeſſio purior, remiſſio certior, & firmior emendatio.

VIII. Nunc tandem, poſtquam dolorem elicuiſti, cum propoſito te emendandi, *vade, & oſtende te Sacerdoti.* (c) Dum autem intras confeſſionale, tres tecum virtutes, ceu comites, aſſume: *Modeſtiam* nimirum, *Patientiam*, & *Humilitatem*. Sic itaque eſto patiens, humilis, ac modeſtus, ut neque Confeſſario, neque alijs ad confeſſionale aſtantibus ſis ullo modo gravis ac moleſtus.

IX. Permitte eos priùs intrare ante te, qui te citiùs venerunt ad confeſſionale, ut hac ratione ſervetur ordo, & æquitas regulæ illius: *Prior tempore, prior eſt jure.* Neminem trude, &, ſi fortè trudaris ab alio, patienter ſuſtine. Si quis importunè ſe ingerat, ut te præveniat, ne illi reſiſtas: plus enim tibi proderit hæc mitis ac patiens charitas, quàm ſi unam alterámque domi tuæ faceres diſciplinam.

X. Si fortè ſis armatus, ſeu gladio præcinctus, priùs, quàm confiteris, arma, ſive enſem

enſem depone: non enim decet, Reum cum armis comparere, ac ſtare ad tribunal Judicis.

XI. Denique ſic tuum accede, & alloquere Confeſſarium, ut in ejus perſona DEUM agnoſcas; eum honora, non tantùm exteriore corporis geſtu, ſed etiam, & multò magìs cordis affectu.

CITATIONES.

(a) Eccli. 18. 19. (b) Marc. 8. 36. (c) Matth. 8. 6.

Caput Secundum.

De AGENDIS IN CONFESSIONE.

§. I.

De ingreſſu Confeſſionalis, ſuique accuſatione.

I.

In labijs Sapientis invenitur ſapientia. (a) Per *labia Sapientis*, intelligo verba peritè

peritè confitentis, qui ſuam ſapientiam in eo demonſtrat, quòd omnia ritè atque ordine diſponat, ita ut Confeſſio, ſeu narratio peccatorum bene inchoetur, aptè continuetur, & rectè concludatur; quâ triplici in re continetur omne id, quod in ipſa confeſſione præſtandum eſt.

II. Cùm ergo confeſſionale ingreſſus fueris, provolutus in genua, & animo in cælum erecto, dic: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Benedic Pater.* Confiteor DEO omnipotenti, beatæ MARIÆ ſemper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater: quia peccavi nimis, cogitatione, verbo, & opere. *Speciatim autem me ab ultima confeſſione, ante N. (dies, hebdomades, menſes) peractâ accuſo.*

III. Hîc unum alterúmve animadvertendum eſt. *Primò*, verba illa, *Benedic Pater*, poſſe ſine inconvenientia omitti, quando benedictio jam data eſt, aut reipsâ datur à Confeſſario. Nemo etenim poſtulare id ſolet ab alio, quod reipsâ accipit, vel defacto jam accepit.

IV. *Se-*

IV. *Secundò.* In magno pœnitentium concurſu prudentiùs fieri, ſi quis, ſublata omni alia prolixitate, breviſſimè dicat hoc modo: *Reverende Pater, accuſo me de peccatis ab ultima confeſſione, ante N. dies peractâ commiſſis.*

V. Poſtea ſubjunge confeſſionem ſeu narrationem peccatorum tuorum, aut eam dicendo ex memoria, vel ſcriptam legendo ex charta. Faciem autem noli directè obvertere versùs vultum, vel aurem Sacerdotis, ſed parùm obliquè contra angulum tibi obverſum in confeſſionali.

VI. Pronunciatio ſit clara, vox moderata, dictio non affectata. Confitere veraciter, atque integrè; humiliter, & modeſtè; ſapienter, & cordatè. *Effunde, ſicut aquam, cor tuum,* (*b*) ut nihil mali commiſſi in eo maneat reconditum.

VII. Erubeſce propter perpetrata delicta, ita tamen, ut non ſileas erubeſcenda. Sic amove omne, quod eſt redundans, ſeu ſuperfluum, ut nihil omittas, quod eſt conveniens ac neceſſarium. Coram ſacerdote taliter te accuſa, atque humilia, ut te

accu-

accuſando non excuſes, téque humiliando non ſuperbias.

VIII. Scrupulos inanes devita, & falſos errores: ſed multò magìs fines perverſos, vitiosóſque affectus: turpe enim eſt per ſiniſtram, ſeu malam intentionem profanare rem adeo ſacram, atque divinam.

§. II.

De modo, ſeu forma narrationis peccatorum.

I.

SUnt, qui certum aliquod *paradigma* expetunt, ſeu formulam quandam pro facili directione, quâ doceantur, ita peritè, atque ex arte confiteri peccata, ut in ſuorum narratione delictorum, rectum ſervare ordinem, certámque verborum diſpoſitionem poſſint.

II. Verùm iſtorum ſatisfacere petitioni, ex multis capitibus perquam difficile eſt, eò quòd hominum conſcientiæ, perinde ac naturæ, ſint valde diſpares, ac diverſæ. Fieri vix poteſt, ut, quod uni congruit, & placet, etiam alijs ſit gratum, ac conſentaneum.

III. Un-

III. Unde, ſicut imprudenter ageret, qui veſtem unius formæ vellet cunctis aptare corporibus, ſic planè inconvenienter fieret, ſi quis unam, eandémque formam confeſſionis niteretur omnibus hominibus præſcribere.

IV. Accedit, quòd tanta non modò peccantium, ſed peccatorum etiam in ſpecie, & numero ſit diverſitas, ut illa omnia anguſtis verborum cancellis velle complecti, videatur inſipiens quædam temeritas eſſe. Profectò experientiâ conſtat, eam à pleríſque ſervari methodum confitendi, cui per longum uſum ſunt aſſueti.

V. Et verò, ſi ulla alia in re, hîc profectò ſua homini relinquenda eſt libertas, ut de modo loquendi, ſuáque peccata proponendi, non multùm ſollicitus rem ipſam promat ſincerè, prout ea in fundo conſcientiæ latet. Nemo enim poteſt meliùs, & accuratiùs ſuorum vulnerum indicare qualitatem, quàm ille ipſe, qui acerbitatem illorum in ſeipſo perſentiſcit.

VI. Nihilominus, ut tuæ ſive curioſitati ſatisfaciam, ſive conſulam utilitati, aliquot ejuſmodi paradigmata & variarum exem-

Digitized by Google

exempla confeſſionum huic adijciam Appendici. Non tamen eo fine, ut pœnitens operoſiore cura ſeſe ad illa aſtringat, ſed ideo tantùm, ut aliqua ad confeſſionem, ſeu peccatorum enarrationem ſpectantia commodiùs edoceri, oſtendíque valeant.

§. III.

De clauſula, & coronide Confeſſionis.

I.

CONfeſſio, ſeu narratio peccatorum hac vel ſimili clauſula terminari poteſt: *De his & alijs peccatis meis, quorum non recordor, dico meam culpam*, meam culpam, meam maximam culpam: ideo precor beatam MARIAM ſemper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptiſtam, ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum DEUM noſtrum. *Petóque ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.*

II. In magno pœnitentium accurſu dic

breviùs hoc modo. *De his, & omnibus peccatis meis, dico meam culpam, petóque ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.*

III. Hîc meritò culpandi ſunt illi, *primò*, qui, poſtquam ſua peccata narrârunt, ad finem narrationis ſuæ nihil omnino addunt, ſed ſolo ſilentio volunt indicare, ſe ſuam confeſſionem abſolviſſe. At enimverò, unde, obſecro, poſſum ſcire, hoc tuum ſilentium oriri potiùs ex defectu materiæ, quo cogeris abrumpere confeſſionem, quàm ex memoriæ conatu, quo niteris expellere oblivionem?

IV. *Secundò.* Digni reprehenſione ſunt, qui tali utuntur clauſulâ confeſſionis, cui prorſus nihil ineſt artis, nihil ſucci, & nihil pietatis. Dum nimirum breviſſimè ſuorum narrationem peccatorum hunc ferè in modum terminant. *Dixi. Abſolvi. Jam ſatìs. Nihil ampliùs. Et hæc de his.* Profectò crudiuſcula hæc ſunt, & cordis non ſatìs devoti indicia.

V. Si Confeſſarius intra confeſſionem, vel poſt illam te alloquatur, aut inquirendo aliquid, quod eſt neceſſarium; aut proponendo quidpiam, quod eſt proficuum, patienter

tienter auſculta & benevolè ; reſponde prudenter, & pacatè. *Audi tacens*, & noli loquentem interpellare, ſed *cùm interrogando* ſermonem abſolverit, *habeat caput reſponſum tuum.* (c)

VI. Si verò ipſe quid habeas, quod tibi videtur ei dicendum eſſe, differ illud, ſi fieri poſſit, & res moram patiatur, ad finem confeſſionis. Tunc autem noli nimis eſſe prolixus, ne ſermone minùs utili, & neceſſario, faſtidium parias, & circumſtantibus, & fortè etiam Confeſſario. Si deinde tibi à Sacerdote pœnitentia injungatur, grato illam animo accepta.

VII. Sub ipſa autem abſolutione hæc, aut ſimilia verba, corde, vel ore dicito. *O JESU DEUS cordis mei! quàm bonus fuiſti erga me! quàm ingratus ego erga te! Ignoſce, & propitius eſto mihi miſero peccatori. Doleo purè propter te, quòd unquam offenderim te, infinito amore, honore, & obſequio digniſſimum. En nunc paratum cor meum ad omne beneplacitum tuum. Lava me in ſanguine tuo, à peccatis meis, & ſuper nivem dealbabor.*

VIII. Lubet hîc addere conſilium aliquod

quod præclari cujusdam viri, cui te (ſi tibi, tuóque Confeſſario non diſplicuerit) non ſine fructu, & lucro ſpirituali, poteris accommodare. Ne patere, (*ait ille*) ut te genio quarundam perſonarum, minùs pietati, devotioníque addictarum accommodes, ut Sacerdos non plenam (cum ijs, quæ antecedere, & ſubſequi ſolent) formulam proferat abſolutionis. Bonæ enim apprecationes ſunt, & Eccleſiæ orationes pro te, quæ id etiam efficiunt, ut omnes ſecuturæ actiones tuæ, & gloriam cæleſtem mereantur, & expiandis peccatis tuis ſerviant. Quo fructu privareris, ſi temporis lucrandi gratiâ, ſolùm ſimplicem abſolutionem verbis pauculis comprehenſam enuntiaret.

IX. Ubi otium tibi fuerit (*idem porrò ait*) inquire, quid velint ea verba, quæ abſolutioni præmittuntur, & poſtponuntur; videbíſque, non immeritò tibi à me commendari, ut ea dici à Confeſſario poſtules, quemadmodum communis fert uſus, niſi obſtet pœnitentium multitudo. *Hæc*, P. Paulus de Barry, *in ſolitudine Hagiophilæ, die tertio, in diſſertatione matutina*, §. 4. *ſub finem.*

X. De-

X. Denique, quando Confeſſarius tibi vel capite annuit, vel etiam dicit: *vade in pace.* Surge, & ambula in nomine Domini, ab onere & ſarcina peccatorum liber. Priùs autem, quàm inde diſcedas (ſi ita moris eſt) Confeſſario ſchedam confeſſionis, tuo nomine inſcriptam trade.

CITATIONES.

(a) Prov. 10. 13. (b) Thren. 2. 19. (c) Eccli. 31. 12.

Caput Tertium.

De AGENDIS POST CONFESSIONEM.

§. I.

De gratiarum actione, & pœnitentia perſolvenda.

I.

Poſt lachrimationem, & fletum, exultationem infundis. (a) Pacem ſcilicet conſcientiæ, ſolatium animæ, augmentum vir-

virtutis, promptitudinem voluntatis ad tria potiſſimùm præſtanda, largiris.

II. *Primò*, ut debitas quis gratias Deo agat, pro beneficio obtentæ abſolutionis, & remiſſionis peccatorum. *Secundò*, ut ritè perſolvat injunctæ ſatisfactionis opera. *Tertiò*, ut negotium propoſitæ emendationis ſedulò exequatur. Hæc etenim tria requiruntur ab omni eo, qui ſuorum obtinuit in confeſſione remiſſionem peccatorum.

III. Multùm olim diſplicuit Chriſto vitium ingrati animi in ijs, quos ſanaverat, viris leproſis, eò quod pro beneficio acceptæ ſanitatis ſeſe gratos ſuo exhibere neglexerint medico. *Nonne decem mundati ſunt*, dicebat ille, *& novem ubi ſunt? Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO, niſi hic alienigena.* (*b*) Cave ergo, ne & tu talem merearis exprobrationem, ſi poſt confeſſionem ſocors fueris in gratijs agendis.

IV. Quamprimum igitur egrederis è loco confeſſionis, carmen incipe divinæ laudationis, dicendo brevem illum pſalmum: *Laudate Dominum omnes gentes*, vel aliam orationem tibi familiarem, quâ DEUM laudes,

Digitized by Google

des, eíque gratias agas. Deinde, ſi lubet, hos vel alios ſimiles ſubjunge pios affectus, vel ex memoria, vel ex libro depromptos.

Oratio poſt Confeſſionem.

V. *Domine, obſecro, ſit tibi per merita ſanctiſſimæ Paſſionis ac mortis tuæ, & beatæ MARIÆ ſemper Virginis, ac Matris tuæ, iſta confeſſio mea grata, & accepta. Quidquid mihi defuit, nunc & aliàs de ſufficientia contritionis, de puritate & integritate confeſſionis, ſuppleat pietas, & miſericordia tua, & ſecundùm illam digneris me habere pleniùs, & perfectiùs abſolutum in cælo. Da mihi ex nunc integram, & puram mentem, ſimplex, & rectum propoſitum, ut ſanus factus non ampliùs peccem, ne deterius mihi aliquid contingat; ſed potiùs, quod unicè cupio, ut nihil deinceps in tota vita mea quæram, aut cupiam, niſi quod animæ ſit utile, ac Divinæ Majeſtati tuæ imprimis placeat. Amen.*

VI. Pœnitentiá injunctam primâ ſtatim, quâ potes, occaſione perſolve: &, ſi fortè tria, quinque, vel ſeptem *Pater & Ave*, dicenda ſint, noli ea differre in tempus aliud,

in alium locum, ſed priuſquam egrediaris è templo, hoc debitum exſolve.

§. II.

De executione propoſiti & emendatione vitæ.

I.

POſtea, dum te præparas ad ſacrã Communionem, vel poſtquam ſacro epulo refectus es, rurſum illa recole propoſita, quæ ante confeſſionem fuerunt concepta: nempe firmiter iterum ſtatuendo, vitam deinceps ſanctam, & immaculatam ducere, ita, ut ſtabiliter velis, non modò nullum poſthac committere peccatum mortale, aut veniale cum plena deliberatione, ſed omnem etiam imperfectionem, quantum humanitus fieri poteſt, evitare. Hoc autem propoſitum magis inniti debet meritis Chriſti, Deíque gratiæ, & miſericordiæ, quàm viribus humanis, ac propriæ induſtriæ.

II. Summopere DEO placet fortis & generoſa animi reſolutio, & ſimilis huic reſolutioni conatus, ſed multò magis illum oblectat, ſolers, conſtans & efficax executio

Digitized by Google

tio propoſiti. *Non enim omnis, qui dicit mihi,* ait Chriſtus, *Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* (c)

III. Propoſitum ſine executione, eſt ſicut arbor ſine fructu, fulgur ſine fulmine. Homo item, qui multa pollicetur, & pauca exequitur, ſimilis eſt vineæ vel horto, qui verno tempore floribus abundat, fructibus autem & uvis caret in Autumno.

IV. Age igitur, ô homo, atque eſto fidelis Domino DEO tuo. Si pios illi promiſiſti mores, vitámque ſanctam, ſerva fidem, neque ampliùs hanc muta mentem. Cuſtodi mandata, & fuge peccata; *diſce benefacere, & quieſce agere perverſè.* (d) Opera enim, quæ bene fiunt, perverſas actiones excludunt: ut adeo nullum æquè validum, ac potens ſit remedium adversùm ſcelera, & vitia, quàm bona opera, & ſancta virtutum exercitia.

V. Si bona es præditus voluntate, non multa indiges inſtructione. Lex etenim interna, & Spiritus Sanctus, qui intra te eſt,

docebit & monebit te, ut ſcias, faciáſque omnia, quæ ſunt pro ſalute animæ tuæ. Nihilominus, ſi tibi gratum ſit, uti haud dubiè erit, paucula quædam adjungam documenta, quæ magna poterunt ad vitam meliorem præſtare ſubſidia.

VI. Ante omnia igitur ſolerter pietatis ſtudia cole, conſtanter tene, neque unquam intermitte. Per *ſtudia pietatis* intelligo frequentem uſum orationis, confeſſionis, Communionis, lectionis ſpiritualis, & quotidiani examinis. Stata, & nunquam interrupta devotio, valida lubricæ ætatis refrænatio eſt. Tunc ſanè periclitatur integritas Juvenum, certúmque incurritur diſcrimen ſalutis, quando cæpta deſeritur pietas, & conſueta virtutum exercitia negliguntur.

VII. *Solers ſtudium orationis* potens & inexpugnabilis munitio eſt contra omnes hoſtium aſſultus. Si permanſeris in hoc caſtro, omnia in tuto erunt, & nullum patiêre detrimentum. *Confeſſio*, medicina eſt; & Sacra *Communio*, cibus: utroque ergo indiges, ſive ſanus ſis, ſive ægrotus. Si reſpuas eſcam, patieris infirmitatem; ſi negligis medelam, animæ tuæ incurres mortem.

VIII.

VIII. Quod ſplendor ſolis eſt in cœlo; & calor ignis in mundo, hoc ſacra eſt *lectio* & *pia meditatio* in animo noſtro. Lectio namque ſpiritualis ſpirituales mentis noſtræ tenebras expellit: fervens autem rerum ſpiritualium meditatio ignem amoris divini accendit in cordibus noſtris.

IX. Non tantùm *à peccato*, ſed ab omni etiam occaſione peccati, *tanquam à facie colubri fuge.* (*e*) Si tibi hujus vel illius perſonæ conſortium nocuit, illam haud aliter declina, quàm hoſtem infenſiſſimum. Melius tibi eſt, ſine illa venire in Cœlum, quàm cum illa, per illam, & propter illam, prolabi in infernum.

X. Si tibi cladem intulit cibus, potúſque immoderatus, ſi curioſus, & lubricus aſpectus, ſi tactus incautus, & periculoſus, mortifica impoſterum gulam, moderare appetitum, contine manus, oculóſque refræna: ſatius enim tibi eſt, modicâ brevíque voluptate privari, quàm turpi flagitio, grandíque labe inquinari.

XI. Nunquam ex toto ſis otioſus, ſed ſemper habeas aliquid, quod agas. Id autem, quod agis, ſic, ut agas, cura, ut actio, quam agis,

agis, ſit melior carentiâ actionis, hoc eſt, ut actio tua ſit utilis, ſit honeſta, ſit glorioſa DEO, & proximo non damnoſa.

XII. Denique magni fac, & non negli-ge conſilium Spiritûs Sancti, qui ait: *Cum viro Sancto aſſiduus eſto, quemcunque agnoveris obſervantem timorem DEI, cujus anima eſt ſecundùm animam tuam, & qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi.* (*f*) *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum.* (*g*) *Anima viri Sancti enunciabit aliquando magis vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* (*h*)

§. III.

De fiduciali recurſu ad Patrem ſpiritualem ſeu Confeſſarium.

I.

SI Juvenis es, & graves pateris tentationes; ſi verſaris inter pericula, habitans in medio nationis pravæ; aut, ſi jam malos contraxiſti habitus, vitioſæ innexus conſuetudini: imò etiam, ſi videaris tibi ſecurus eſſe, ab omni gravi tentatione immunis,

integer

integer vitæ, ſceleríſque purus: audi, me, & ſequere conſilium meum. Quære tibi virum prudentem, doctum, ac pium, ad quem in omni negotio ſalutis habeas recurſum.

II. Huic temetipſum crede; huic animum tuum pande; hujus ſequere ductum, amplectere conſilium, nutúmque per omnia haud aliter imple, quàm ſi DEUM audires loquentem, Chriſtum monentem, vel Angelum adhortantem. Veriſſimè enim quivis Confeſſarius, aut alius pro directione tua à DEO conſtitutus, Vicarius DEI eſt, Chriſtíque interpres, & Curiæ cæleſtis Legatus, juxta illud æternæ veritatis oraculum: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* (i)

III. Ut autem hæc mea doctrina tibi magìs ſit utilis, atque expedita, quatuor tibi ſedulò ſunt obſervanda. *Primum* eſt, ne credas, tibíque perſuadeas, ſatìs eſſe, ſi tali viro ſæpiùs, aut etiam ſemper confitearis, eíque, dum confiteris, tuos, quibus gravaris, aperias morbos, tuáque, in quibus verſaris, eidem manifeſtes pericula. Nam, licèt hæc manifeſtatio ſit utilis, & quandoque

que neceſſaria ad bonam & integram confeſſionem, non tamen eſt ſemper ſufficiens, & ſatìs efficax ad plenam, & perfectam emendationem.

IV. Dum enim illi peccata confiteris, plerumque deeſt aut mora temporis, aut locus habilis, aut apta animi diſpoſitio, non tua tantùm, ſed ipſius etiam Confeſſarij, ut qui longâ fortè fatigatus auditione confeſſionum, nunc minùs paratus eſt, ad dandum tibi idoneum conſilium; aut, ſi paratus eſt, ignorat, vel certè dubitat, quânam ratione tuum curandum ſit vulnus; an duram, quod præſto eſt malum, requirat, an mollem manum.

V. Unde ſatius eſſe fortaſſe judicat, nunc manum elevare ad dandam abſolutionem, quàm morbum per importunam exulcerare admonitionem. Profectò diutiùs retinere Pœnitentes in Confeſſionali, citra cauſam valde rationabilem, ſemper aliquam moleſtiam, atque incommoditatem afferre ſolet, tum ijs, qui foris aſtant, tum ipſi etiam Confeſſario ac Pœnitenti, ut qui non ſine cauſa ſuſpicioſas formidare poſſunt aliorum diſplicentias, & criſes.

VI.

VI. *Alterum* eſt, quod ex priore ſequitur, ut nimirum non tantùm intra, ſed etiam extra confeſſionem agas cum tali viro, qui te in rebus ad conſcientiam ſpectantibus juvare poſſit, ſciat, ac velit. Vade ultrò ad eum; neque exſpectes, donec voceris ab illo. Non enim facilè ſolent Confeſſarij ad ſe vocare illos, quorum neceſſitates ex ſola confeſſione cognoſcunt. Et verò, cùm in negotio iſto tua magìs, quàm illius res geratur, æquum, & rationabile videtur eſſe, ut ipſe potiùs quæratur abs te, quàm tu ab illo.

VII. Quare, ſi te tuámque ſalutem amas, vince teipſum, & curre ad Directorem tuum, ſicut ovis ad paſtorem, cùm videt lupum; ſicut æger ad medicum, cùm timet mortem; ſicut filius ad Patrem, cùm fugit latronem. Cùm autem ad eum veneris, tractaturus de rebus conſcientiæ tuæ, ante omnia tolle ſigillum confeſſionis; nam ſine conceſſa licentia loquendi de peccatis tuis ex ſola confeſſione cognitis, altum de his ſilebit confeſſarius, prudentérque diſſimulando omnia, te denique permittet abire, ſine optato, ſperatóque adjumento.

VIII. *Tertium* eſt, multâ dignum obſervatione;

vatione; ut ſcilicet hac in re nolis à Patre ſpirituali tractari, ſicut infans à nutrice, aut puer delicatus à ſua matre; ita, ut velis ab eo teneriùs amari, mulceri blanditijs, munuſculis foveri, ornaríque laudibus & encomiis: hæc enim puerilia ſunt, carnémque magis redolent, quàm ſpiritum. Qui ſeriò ſuam appetit ſalutem, quærere auxilium debet; non ſolatium; ſanitatem, non voluptatem; gratiam divinam, non gloriam humanam.

IX. Quare contentus eſto, quomodocunq; tracteris ab eo. Si ſeſe tibi mitem exhibeat, benignum, atque amabilem, te tali benevolentia, & charitate reputa indignum, eique pro favore repende amorem; pro benevolentia, reverentiam. Si verò is ſerium ſe oſtendat erga te, & aliqualiter ſeverum, cave, ne vel ira, vel triſtitia te conturbet, ſed certò tibi perſuade, hanc ejus inclementiam, ſpiritualem quandam prudentiam eſſe, quæ plurimùm tibi poterit prodeſſe, ſi fortis, humilis, & conſtans patientia in te extiterit.

X. *Quartò*, atque ultimò hîc obſervandum eſt, ne facilè illum, quem ſemel elegiſti, tibíq; utilem expertus es, deſeras Confeſſarium, ſed ejus conſtanter operâ utaris, donec aliud vel

vel neceſſitas, vel ratio manifeſtè urgens ſuadeat. Et ſanè hoc ipſius DEI conſilium eſt, qui per Eccleſiaſticum ita loquitur: *Amicus fidelis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti, contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, &, qui metuunt Dominum, invenient illum.* (k) *Et, ne derelinquas amicum: novus enim non erit ſimilis ei.* (l)

XI. Unde, ſi tibi forſan inciderit, te ex directione ejus modicum, aut nullum percipere fructum, ne facilem huic cogitationi fidem, atque aſſenſum præbe: ſed eam, niſi certæ, atque indubitatæ rationes in contrarium adſint, tanquam malam cacodæmonis ſuggeſtionem abige, ut qui profectui tuo, tuíſque commodis invidet, téque modis omnibus tam valido exuere præſidio ſtudet.

XII. Et verò non poteſt non ingens eſſe virtus, magníque opus meriti, ſi ſe quis propter DEUM ſubijciat homini, ſi propriæ violentiam inferat naturæ, ſuámque alteri

ſincerè aperiat conſcientiam: ſi ſuam agnoſcens fragilitatem, generoſam hac in re animi demiſſionem exerceat: ſi vincens noxium pudorem, ſuos ultrò fateatur commiſſos errores.

XIII. Et hoc eſt, quod SS. Patres, quod Sacræ litteræ, quódque omnes Magiſtri Spiritûs docent, monent, ac jubent. Omiſſis alijs, audi, quid veritas ipſa loquatur: *Melius eſt, duos eſſe ſimul; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli! quia, cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe. Et, ſi quiſpiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtunt ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur.* (m)

CITATIONES.

(a) Tob. 3. 22. (b) Luc. 17. 18. (c) Matth. 17. 12. (d) Iſai. 1. 16. (e) Eccl. 21. 2. (f) Eccli. 37. 15. (g) Eccli. 6. 7. (h) Eccli. 37. 18. (i) Luc. 10. 16. (k) Eccli. 6. 16. (l) Eccli. 9. 14. (m) Eccli. 9. 10.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDICIS

ADDITAMENTUM,

CONTINENS DECEM paradigmata confeſſionis SEU NARRATIONIS PECcatorum.

PARADIGMA PRIMUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem præceptorum Decalogi.

ALbertus confeſſionem generalem ab uno anno peragit hunc in modum: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Benedic Pater.

Confiteor DEO omnipotenti, Beatæ MARIÆ ſemper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptiſtæ, Sanctis

 Apoſto-

Apoſtolis Petro, & Paulo, Omnibus Sanctis, & tibi, Pater; quia peccavi nimis cogitatione, verbo & opere.

Reverende Pater, inſtituam confeſſionem generalem: ac proinde me accuſo de peccatis ab ultima confeſſione generali, quæ ante annum peracta eſt, commiſſis.

Per decurſum hujus anni DEO pro acceptis beneficijs valde ingratus fui. In ſtudio virtutum, devotionis, & mortificationis tepidus & negligens. In quotidianis actionibus meis, & alijs exercitijs pietatis plurimùm diſtractus, & indevotus. Sæpe etiam divinis inſpirationibus & ſalutaribus hominum admonitionibus non parui. Bona item propoſita negligenter ſum executus, aut omnino omiſi. Beatam Virginem, Sanctum Angelum cuſtodem, Sanctos Patronos, & alios Cælites, non eo, quo par erat modo, colui. Nec animas in purgatorio, ſicut debebam, juvare ſtudui.

Dubium incidens de præſentia Chriſti in venerabili Sacramento ſegniùs ex animo ejeci, quinquies. Et octies ſuperſtitioſa aliqua ex libero prohibito legi.

Sacra nomina temerè, & ſine reverentia,

tri-

trigeſies plùs minùs, protuli. Verba Sacræ Scripturæ traxi in jocum, fortè octies. Temerè, & incautè juravi, non tamen falsò, ſingulis hebdomadis, quater, aut quinquies. Semel etiam ex præcipiti inconſideratione juravi falſum.

Semel in die feſto notabilem, & ferè dimidiam partem Miſſæ, ex culpa & incuria mea, non audivi. Diebus autem ferialibus omiſi hoc anno auditionem Sacri, minimùm duodecies. Congregationem quoque, & Veſperas, ex tædio & deſidia neglexi aliquoties.

Superioribus meis ſæpe fui inobediens: & contra eosdem vigeſies, aut ſæpiùs murmuravi. Pecunias à patre meo ſubmiſſas inutiliter expendi, & pro anima defunctæ meæ matris rariùs, quàm decuit, & oportuit, oravi.

In rebus adverſis ſæpe fui impatiens. Iras & diſplicentias contra alios frequenter habui. Semel leve odium inimicitiæ erga alium exercui per duas hebdomades. Et decies volui deliberatè levem de illo vindictam ſumere. Quater ex ſubita ira grave alteri malum imprecatus ſum. Et bis uni ex contuber-

tubernalibus meis ex ſimili commotione colaphum inflixi.

Aliquoties contra modeſtiam & urbanitatem, craſſa quædam, & inurbana verba protuli. Ter verbum impudicum, coram alijs, ex levitate, ſine animo libidinoſo dixi. Trigeſies, plùs minùs, incautè puellas aſpexi, unde mihi tentationes poſtea contra caſtitatem exortæ ſunt.

Uni chirothecas, & alteri cultrum abſtuli: neutrum erat magni valoris. Inter ludendum alium defraudavi decem crucigeris. Et ſemel in emptione alicujus rei falſum denarium pro vero obtuli.

Mendacium protuli nulli damnoſum, aliquoties. De aliorum defectibus liberiùs locutus ſum apud alios, cum aliqua diminutione honoris, & famæ, circiter decies quater. Dubito, an non ſemel vel bis fuerit gravis detractio.

In reprimendis inhoneſtis cogitationibus, & commotionibus carnis nonnihil negligens fui, trigeſies plùs, minùs. Ter item deſiderium incaſtum erga virginem ſolutam mihi incidit, neſcio, an dederim aſſenſum, ſaltem imperfectum; accuſo me ſub dubio.

Sæpe

Sæpe vanas, & inanes cogitationes de pecunijs, & divitijs in animo volutavi. Et quinquies propoſitum habui, faciendi leve furtum. Ter item conatus ſum alios in ludo decipere, in re minùs notabili.

Et hæc ſunt peccata mea, quorum ab ultima confeſſione generali potui recordari.

Nunc etiam me accuſo de peccatis ab ultima ordinaria confeſſione, ante octiduum peracta, commiſſis.

Sub oratione aliquoties ex aliqua incuria, & negligentia mea, animo vagus fui, & diſtractus. Ter vel quater conſuetas preces, ex devotione orari ſolitas, ex acedia omiſi. Cogitationibus incaſtis negligenter reſtiti, bis vel ter. Iracundas quoque cogitationes ter, vel quater habui. Semel alium irriſi, & & ad impatientiam commovi. Alijs cognomina, & convitia aliquoties dixi. Bis vel ter nimis avidè, & ſemel nimis multum comedi, & bibi. Otio, & ſomno plus æquo indulſi, ter vel quater.

De his & omnibus alijs peccatis meis hoc anno, & per omnem retrò vitam commiſſis,

 dico

Digitized by Google

tubernalibus meis ex ſimili commotione colaphum inflixi.

Aliquoties contra modeſtiam & urbanitatem, craſſa quædam, & inurbana verba protuli. Ter verbum impudicum, coram alijs, ex levitate, ſine animo libidinoſo dixi. Trigeſies, plùs minùs, incautè puellas aſpexi, unde mihi tentationes poſtea contra caſtitatem exortæ ſunt.

Uni chirothecas, & alteri cultrum abſtuli: neutrum erat magni valoris. Inter ludendum alium defraudavi decem crucigeris. Et ſemel in emptione alicujus rei falſum denarium pro vero obtuli.

Mendacium protuli nulli damnoſum, aliquoties. De aliorum defectibus liberiùs locutus ſum apud alios, cum aliqua diminutione honoris, & famæ, circiter decies quater. Dubito, an non ſemel vel bis fuerit gravis detractio.

In reprimendis inhoneſtis cogitationibus, & commotionibus carnis nonnihil negligens fui, trigeſies plùs, minùs. Ter item deſiderium incaſtum erga virginem ſolutam mihi incidit, neſcio, an dederim aſſenſum, ſaltem imperfectum; accuſo me ſub dubio.

Sæpe

Digitized by Google

Sæpe vanas, & inanes cogitationes de pecunijs, & divitijs in animo volutavi. Et quinquies propoſitum habui, faciendi leve furtum. Ter item conatus ſum alios in ludo decipere, in re minùs notabili.

Et hæc ſunt peccata mea, quorum ab ultima confeſſione generali potui recordari.

Nunc etiam me accuſo de peccatis ab ultima ordinaria confeſſione, ante octiduum peracta, commiſſis.

Sub oratione aliquoties ex aliqua incuria, & negligentia mea, animo vagus fui, & diſtractus. Ter vel quater conſuetas preces, ex devotione orari ſolitas, ex acedia omiſi. Cogitationibus incaſtis negligenter reſtiti, bis vel ter. Iracundas quoque cogitationes ter, vel quater habui. Semel alium irriſi, & & ad impatientiam commovi. Alijs cognomina, & convitia aliquoties dixi. Bis vel ter nimis avidè, & ſemel nimis multum comedi, & bibi. Otio, & ſomno plus æquo indulſi, ter vel quater.

De his & omnibus alijs peccatis meis hoc anno, & per omnem retrò vitam commiſſis,

dico meam culpam, meam culpam, meam maximam culpam.

Ideo precor Beatam MARIAM ſemper Virginem, Beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum, & Paulum, Omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum DEUM noſtrum. *Petóque ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.*

QUÆRITUR.

Quid de hac prima confeſſionis forma ſit ſentiendum.

RESpondetur, Albertum bene, ac ſatìs peritè confeſſum eſſe.

Primò. Quia ordinatè proceſſit per decem præcepta Decalogi; progrediendo à primo ad ſecundum, à ſecundo ad tertium, & ſic deinceps. Quamvis non malè egiſſet, ſi nonum præceptum adjunxiſſet ſexto; & decimum ſeptimo, propter ſimilem materiam circa eandem ſpeciem peccati.

Secundò. Quia narrationi peccatorum ſuorum præmiſit generales quaſdam imperfectiones commiſſas per annum, quæ, tametſi

metſi in ordinarijs confeſſionibus bene, prudentérque omittuntur, in confeſſionibus tamen generalibus, quæ rarò fiunt, videntur non importunè, imò cum laude, fructúque dici: cùm & hi defectus diſpliceant DEO, digníque ſint dolore, & expiatione, modò non nimiùm accumulentur.

Tertiò. Quia confeſſioni annuæ ſubjunxit narrationem peccatorum ab ultima ordinaria confeſſione commiſſorum, quod fieri omnino expedit, licèt in rigore neceſſarium non ſit.

Quartò. Quia confeſſionem ſuam aptis quibuſdam orationum formulis inchoavit, & terminavit: id quod ad Sacramenti dignitatem, & meliorem pœnitentis diſpoſitionem plurimùm facit.

PARADIGMA SECUNDUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem ſeptem peccatorum capitalium.

BErnardus ab uno menſe ſic confitetur. *In nomine Patris &c. Benedic Pater.* Confiteor DEO Omnipotenti, bea-

tæ MARIÆ ſemper Virgini, omnibus Sanctis, & tibi, Pater.

Ante menſem ultimò confeſſus ſum, ut puto, bene, & integrè: pænitentiam injunctam implevi. Interea his peccatis Dominum DEUM offendi.

Aliquoties vanè mihi complacui, & ex aliqua ſuperbia alijs præferri deſideravi. Ter in laudem meam aliqua dixi. Et ſemel de re leviter malâ gloriatus ſum. In externis actionibus meis ſubinde oſtentationis causâ aliqua feci.

Nimis cupidè, & frequenter luſi chartis. In luſu conatus ſum aliquem decipere in re levi, &, ſi potuiſſem, feciſſem, quod ter accidit. Bis leve furtum feci. Quater pecunias inutiliter, & prodigè conſumpſi; ſumma erat non adeo notabilis.

Dubito, an in obſcænis cogitationibus, & motibus reprimendis ſemel, atque iterum aliquam admiſerim negligentiam. Bis audivi loquentes turpia, & arriſi ex reſpectu humano, & timore diſplicendi alijs. Semel ex curioſitate parum aliquid in obſcæno libro legi: & ſic, præter intentionem,

Digitized by Google

nem, ac voluntatem, excitavi mihi tentationem contra caſtitatem.

Cogitationes invidioſas ſubinde non ſtatim repreſſi. Ter de alterius levi infortunio gaviſus ſum. Bis temerè de alio mali quid ſuſpicatus ſum. Bis etiam de erratis & defectibus aliorum liberiùs ſum locutus, cum levi aliqua detractione honoris.

Ter habui guloſas cogitationes. Duodecies nimis avidè, & ardenter comedi, & bibi. Quater contra legem temperantiæ tantum bibi, ut ratio fuerit nonnihil turbata.

Bis motibus impatientiæ non ſatìs reſtiti. Quater deliberatè levem in animo iracundiam habui. Semel etiam graviter vindicare me volui, dubito, an ſatìs deliberatè. Ter aut quater inordinatè cum alijs contendi. Et bis in convitia, & verba charitatem lædentia prorupi.

Cogitationibus curioſis decies circiter nimiùm indulſi. Sub oratione voluntariè diſtractus fui, duodecies, plùs minùs. Interdum otioſa, & inutilia verba locutus ſum. Semel die feſto ſub Sacrificio Miſſæ per breve tempus garrivi. Et ſemel die

feriali

Digitized by Google

feriali per totum ferè Sacrum cum alio confabulatus ſum. Decies me occupando in rebus inutilibus, tempus malè conſumpſi. Sub veſperis ſemel Auctorem profanum legi.

De his & omnibus alijs peccatis, quibus Dominum DEUM offendi, dico meam culpam, petóque ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.

QUÆRITUR.

Quid de hac ſecunda confeſſionis forma ſit ſentiendum?

RESpondetur, Bernardum bene, ac laudabiliter confeſſum eſſe.

Primò. Quia rectum ſervavit ordinem, percurrendo ſeptem peccata capitalia, juxta illam diſpoſitionem, quæ reperitur in catechiſmo.

Secundò. Quia omnia, & ſingula peccata ita clarè, diſtinctéque recenſuit, ut Confeſſarius optimè potuerit diſcernere graviora à levioribus; dubia à certis; certa à dubijs: quæ res digniſſima laude eſt, nec minùs Confeſſario grata, quàm utilis pœnitenti.

Tertiò.

Digitized by Google

Tertiò. Quia in ſuorum enarratione peccatorum plano, ſimplicíque modo loquendi uſus eſt, abſtinendo ab affectato, & nimis exquiſito verborum delectu, qui in humili accuſatione ſui ipſius videtur omnino eſſe inconveniens.

Quartò. Quia, cùm plures foris ſtarent ante confeſſionale, prudenter egit, omittendo prolixiorem illam præfationem, & clauſulam, quâ prædictus Albertus bene, ac laudabiliter uſus eſt, eíque aliam breviorem, & hîc magìs accommodam ſubſtituit.

PARADIGMA TERTIUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem cogitationum, verborum, operum, & omiſſionum.

Conradus à tribus ſeptimanis ita confitetur.

In nomine Patris &c. Benedic Pater. Confiteor DEO omnipotenti, & tibi, Pater;

ter; quia peccavi nimis cogitatione, verbo, opere.

Ab ultima confeſſione, quam tres ante hebdomades peregi, his peccatis DEUM offendi.

Vanas & otioſas cogitationes ſæpe habui. Bis in animo impatiens fui. Motus iracundiæ, & indignationis negligenter ſuppreſſi. Semel de levi alterius malo gaviſus ſum. Semel atque iterum in reſiſtendo tentationibus incaſtis negligentiam commiſi. Bis temerè malè de proximo ſuſpicatus ſum.

Contra Superiorem murmuravi, bis. Temerè, & incautè juravi verum, ſemel. Bis leve malum alteri imprecatus ſum. Ex aliquo impatientiæ, & iræ motu ter proximum levi contumelia affeci. Octies alijs importuna vexatione moleſtus fui. Duriore verbo proximum, decies quater plùs, minùs, nonnihil offendi. Aliquoties immodeſtè, & nimis effusè riſi.

Superioribus meis me ter, vel quater capitoſum exhibui, & nolui illis obedire. Ter ſenſualitati, & guſtui in cibo, & potu plus æquo indulſi. In quantitate cibi & potûs cōtra temperantiam ſexies circiter non nihil exceſſi.

Ali-

Aliquoties ſub oratione voluntariè mente aliò evagatus ſum. Quater ex tædio, & negligentia conſuetas preces matutinas, & veſpertinas orare omiſi. Etiam examen conſcientiæ ex mera deſidia ter vel quater non feci. Dubito, an ante nuperam & ultimam confeſſionem, ſufficientem habuerim dolorem de peccatis, & propoſitum emendationis.

De his & omnibus peccatis meis, doleo ex intimo cordis affectu, petóque ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.

QUÆRITUR.

Quid de hac tertia forma Confeſsionis ſit ſentiendum.

RESpondetur, Conradum rectè confeſſum eſſe.

Primò. Quia bonâ, laudatáque methodo uſus eſt, ſervando ordinem cogitationum, verborum, operum, & omiſſionum; quæ methodus, ſeu modus confitendi plerisque Confeſſarijs præ alijs arridet.

Secundò. Quia plerisque peccatis ſuis, licèt venialibus, certum, aut veroſimilem numerum

merum addidit, ex more illorum, qui ſuis in rebus ſolent eſſe accurati.

Tertiò. Quia præter peccata ſua, etiam morales quasdam imperfectiones recenſuit, quod hominibus conſcientiæ teneræ, pietatíque addictis uſitatum eſt.

Quartò. Quia dubitationem ſuam de ſufficiente contritione & propoſito in præcedente confeſſione non reticuit: hoc enim, utpote in re gravi, non bene fuiſſet omiſſum, niſi fortè ex judicio Confeſſarij, & ipſius Confitentis merus fuiſſet ſcrupulus.

PARADIGMA QUARTUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem peccatorum contra DEUM, Proximum, & Seipſum.

DAmianus à ſex diebus tali ratione confitetur.

In nomine Patris &c. Benedic, Pater. Confiteor DEO &c.

Præterita die Dominica ultimò confeſſus ſum. Interea his peccatis DEUM offendi.

Semel

Semel dubias contra fidem cogitationes negligenter excuſſi. Et ſemel inordinatæ triſtitiæ ac diffidentiæ in DEUM locum dedi. Bis Officium Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, hoc menſe ex voto dicendum, per incuriam & deſidiam non oravi.

Contra proximum averſas cogitationes aliquoties fovi. Semel leve nocumentum alteri inferre volui. Ter alium mordacibus dictis offendi. Et ſepties alterum levi contumelia affeci. Bis ex invidia de bono alterius contriſtatus ſum. Semel leve furtum feci.

Vanam gloriam aliquoties in operibus meis quæſivi. Et quater jactabunda verba locutus ſum. Cogitationibus inhoneſtis quinquies curioſiùs inhæſi, ſine incaſta delectatione. Interdum fui impatiens. Et multas cogitationes otioſas, & inutiles habui: & ſimiles protuli ſermones, actúsque exercui.

Hæc atque omnia alia peccata mea, quorum notitiam non habeo, deteſtor ex animo, petóque ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.

QUÆRITUR.

Quid de hac quarta forma Confeſsionis ſit ſentiendum?

RESpondetur, Damianum bene confeſſum eſſe.

Primò. Quia ordinatè proceſſit, recenſendo peccata contra DEUM, Proximum, & Seipſum.

Secundò. Quia confeſſionem fecit ita attemperatam, ut non nimis eſſet longa, nec nimis brevis.

Tertiò. Quia nullas confeſſioni ſuæ ſcrupuloſitates, aliáque impertinentia admiſcuit.

Quartò. Quia circa numerum peccatorum venialium non nimis operoſus, & ſollicitus fuit.

PARADIGMA QUINTUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem, & progreſſum à minoribus peccatis ad maiora.

EDmundus à duabus ſeptimanis confitetur hunc in modum.

Ab

Digitized by Google

Ab ultima confeſſione, ante duas hebdomadas peractâ, his peccatis Dominum DEUM offendi.

Divinis inſpirationibus ſæpe non obedivi. In ſchola ter vel quater non attendi. Diſtractiones ſub oratione negligenter aliquoties excuſſi. Quandoque etiam nomen JESU, & MARIÆ ſine reverentia protuli.

Semel de levi aliquo alterius malo gaviſus ſum. Novies cogitationibus impuris negligenter reſtiti. Sexies ex impatientia in verba iracunda prorupi. Ter verbis ſacræ Scripturæ abuſus ſum ad jocum. Semel alium per vexationem & irriſionem confundere, & in ruborem dare volui. Quinquies plùs minùs diſplicentiam, & averſionem animi ab altero habui.

Bis proximo grave malum, cum plena deliberatione & conſenſu, deſideravi. Semel propoſitum habui, grave furtum faciendi. Semel ſciens, & ſatìs advertenter juravi falſum. Bis votum DEO factum in re gravi violavi.

In ultima confeſſione, quam hîc etiam apud Reverentiam veſtram peregi, aliquod peccatum mortale ex verecundia reticui:

Digitized by Google

ídque hoc erat. Semel ex aliquo incorrecto libro turpia quædam, & incaſta legi, ortíſque inde cogitationibus, ac motibus obſcœnis, cum delectatione & conſenſu per longum tempus inhæſi, & quidem ſcienter ac deliberatè.

De quo proinde peccato in proxima confeſſione omiſſo, uti & de ipſa ſacrilega reticentia me nunc cum dolore accuſo: & ſimul omnia alia peccata, tam in hac, quàm in præcedente confeſſione dicta, deteſtor, atque abominor ex toto corde, petóque ſalutarem, & peccatis meis condignam pœnitentiam, & abſolutionem.

QUÆRITUR.

Quid de hac quinta forma Confeſſionis ſit ſentiendum?

RESpondetur, Edmundum confeſſum eſſe eo modo, quo oportuit, bene, rectè, atque exactè.

Primò. Quia bono ordine gradatim aſcendit à narratione minorum peccatorum, ad narrationem majorum, ita ut primò diceret ea, quæ meræ imperfectiones, levéſque

que noxæ ſunt: poſtea illa, quæ plus malitiæ, & inordinationis in ſe continent: & denique illa, quæ pro mortalibus certò, aut probabiliter haberi poſſunt.

Secundò. Quia circumſtantias aggravantes, quæ peccata alioquin per ſe, vel per accidens levia, faciunt gravia & mortalia, per aptas particulas bene expreſſit; dicendo ſcilicet; ſe hoc, vel illud feciſſe, *cum plena deliberatione, ſcienter, & cum advertentia, in re gravi*, &c. quod aliqui dum omittunt, ſe malè explicant, & per hoc Confeſſarium torquent, cogúntque ad interrogandum.

Tertiò. Quia ſeipſum, & noxiam verecundiam ſuam ſuperavit, dum peccatum, quod antea confiteri ſacrilegè erubuit, nunc cordatè ac ſincerè manifeſtavit.

Quartò. Quia, cùm prior confeſſio apud eundem Confeſſarium ante tempus non adeo longum peracta fuerit, rectè fecit, abſtinendo à repetitione peccatorum in præcedente ſacrilega, & invalida confeſſione dictorum.

PARADIGMA SEXTUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem & progreſſum à maioribus peccatis ad minora.

FRidericus à decem diebus confitetur hoc modo.

In nomine Patris &c. Benedic, Pater. Confiteor DEO &c.

Ante decem dies ultimò confeſſus ſum. Interea hæc deliqui.

Semel rem furto abſtuli valentem duos, vel etiam tres florenos. Bis alteri detraxi cum gravi læſione famæ, & non levi damno inde ſecuto. Ter dixi mendacium proximo graviter damnoſum. Semel etiam per ſuſurrationem inter duos gravem diſcordiam, animorúmque averſionem excitavi.

De peccatis iſtis doleo ex corde, & ſtatuo firmiter, rem furto ablatam reſtituere Domino ſuo; alijs etiam ſatisfacere pro damnis illatis, quantum mihi poſſibile erit.

Octies verbo duriore charitatem proximi nonnihil læſi. Impuras cogitationes, quin-

quinquies plùs minùs, non ſtatim eijcere conatus ſum. Ter alijs honorem, & laudem invidi. In levia aliorum peccata quater, aut quinquies conſenſi. Verba impura ex levitate dixi, ter. Meipſum vanè jactavi quinquies. Injunctam in confeſſione pœnitentiam negligenter, & deproperanter perſolvi.

Negligens fui in cultu Beatæ MARIÆ Virginis, ſancti Angeli Cuſtodis, & aliorum Sanctorum. Negligens item fui in orando pro ijs, pro quibus debebam orare. Semel poſt ſacram Communionem me ſtatim rebus profanis impendi, cùm nulla eſſet hujus neceſſitas.

De his, & omnibus alijs peccatis &c.

QUÆRITUR.

Quid de hac ſexta forma Confeſſionis ſit ſentiendum?

RESpondetur, Fridericum bene, aptéque confeſſum eſſe.

Primò. Quia ſe ſtatim ab initio de gravioribus delictis accuſavit; id quod Aſcetæ

& Magiſtri Spiritûs laudant, habéntque pro generoſa victoria ſui.

Secundò. Quia à majoribus peccatis ordinatè, & gradatim ad minora deſcendit, ad venialia primum, deinde ad vitia ſine peccato, quæ morales imperfectiones vocantur.

Tertiò. Quia circa peccata injuſtitiæ, clarè, & ſufficienter expoſuit quantitatem rei ablatæ, & gravitatem damni, ita ut nulla remaneret ambiguitas, & neceſſitas interrogandi.

Quartò. Quia ſapienter adjunxit, *ſe velle reſtituere rem furto ſublatam, & reparare damna*: ſic enim ſublevavit Confeſſarium ab onere, hoc ipſum monendi, propter obligationem faciendæ reſtitutionis, & ſatisfactionis, quæ omni peccato injuſtitiæ accreſcit, ita ut ſine illa peccatum abſolvi, remittíque non poſſit, juxta illud dictum S. Auguſtini. *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

PA-

Digitized by Google

PARADIGMA SEPTIMUM CONFESSIONIS.

Juxta ordinem temporis & horarum.

GUilielmus ab octiduo ita confitetur.

In nomine Patris. &c. Benedic Pater, Confiteor DEO. &c.

Ab ultima confeſſione ante octo dies peracta, his peccatis DEUM meum offendi.

Ter mane à ſomno expergefactus non ſtatim cor, & cogitationes meas ad DEUM converti. Octies in orationibus, & alijs pijs exercitationibus meis non ſatis attentus, ac devotus fui. Bis Sacrificium Miſſæ non eâ, quâ par erat, reverentiâ & pietate audivi: & ſemel ſpiritualem communionem omiſi.

Quater in ſchola ſub explicatione Profeſſoris mente aliò evagatus fui. Semel ante refectionem corporis non feci bonam intentionem. Et inter edendum me bis vel ter nimis parùm mortificavi. In lectionibus memoriter addiſcendis aliquantùm ne-

gligens fui; & bis in compoſitione argumenti nimiùm deproperavi.

Preces veſpertinas ſemel ex ſomnolentia omiſi. Et ſemel incaſtum ſomnium habui, quod evigilans ſtatim averſatus ſum, & animo ejeci. Antehac leviter ſum mentitus, aliquoties impatiens fui. *De his, & omnibus aliis &c.*

QUÆRITUR.

Quid de hac Septima forma confesſionis ſit ſentiendum?

Reſpondetur, Guilielmum bonam, & innocentem confeſſionem feciſſe.

Primò. Quia pulchro ordine per totius diei actiones à mane ad veſperum uſque decurrit.

Secundò. Quia, cùm propter vitæ innocentiam, alia peccata non haberet, ſe de minutis defectibus, & imperfectionibus ſuis accuſavit.

Tertiò. Quia poſt enarratas háſce imperfectiones, duo alia certa peccata venialia, ex priore vita deſumpta adjunxit: ſine quâ additione alioquin, ob defectum aptæ,

&

Digitized by Google

& ſufficientis materiæ vix potuiſſet abſolvi.

Quartò. Quia, tametſi indolis eſſet admodum verecundæ, non tamen erubuit, fateri ſomnium incaſtum, quod habuit, equidem ſine culpa, non tamen ſine moleſtia, & dolore.

PARADIGMA OCTAVUM CONFESSIONIS.

Citra ordinem, & diſpoſitionem peccatorum.

HEnricus confitetur à quatriduo hac ratione.

In nomine Patris &c. Ante quatuor dies ultimò confeſſus ſum. Ab eo tempore accuſo me de ſequentibus peccatis.

Impatiens fui, ter vel quater. Et bis mendacium dixi, nulli nocivum. Bis juravi, non falsò. Ter alteri in re levi detraxi. Furatus ſum unum crucigerum. Cogitationes incaſtas habui, ſed non libenter. Alteri ex ſubita ira grave malum imprecatus ſum, dubito, an ſatìs deliberatè.

Semel

Semel librum legi impudicum, dubitans tunc, an peccarem mortaliter. Semel alium ſtultum appellavi, & poſtea mihi incidit, hoc eſſe peccatum mortale. Uno quadrante poſt Sacram Communionem exſpui in terram, neſcio, an hoc peccatum ſit: puto eſſe merum ſcrupulum.

De his & omnibus alijs &c.

QUÆRITUR.

Quid de hac octava forma Confeſsionis ſit ſentiendum?

RESpondetur, Henricum bonam, & laudabilem confeſſionem peregiſſe.

Primò. Quia de ordine, & diſpoſitione peccatorum non multùm ſolicitus, plus curæ, laboris, ac temporis impendit, eliciendæ veræ contritioni de peccatis, formandóque firmo propoſito, ampliùs non peccandi.

Secundò. Quia peccata ſua, juxta inſtructionem Concilij Tridentini, recenſuit, ſicut ea ſcivit, ea ſcilicet, quæ certa erant, atque indubitata, narrando ſimpliciter, ſine clauſula, ſeu limitatione; alia verò, quæ dubia

dubia erant, vel incerta, confitendo ſub dubio, vel ſub aliqua incertitudine.

Tertiò. Quia dubium, quod habuit ante peccatum, vel in ipſa commiſſione peccati, rectè aperuit; diſtinxitque à dubio, quod ei primùm poſt commiſſionem illius incidit.

Quartò. Quia circumſtantias minuentes, quæ peccatum, ex ſe, vel per accidens, mortale, poſſunt, ſolentque facere veniale, diligenter addidit; dum non nudè, ac præcisè dixit, ſe juraſſe, detraxiſſe, furatum eſſe &c. ſed inſuper adjecit, non falsò; in re levi; in quantitate modica.

PARADIGMA NONUM CONFESSIONIS

Minùs peritæ, ob defectum ſufficientis materiæ pro Sacramentali abſolutione.

JAcobus in feſto S. Jacobi Apoſtoli confitetur hunc in modum.

Ab ultima confeſſione, quam ante menſem

ſem peregi, his peccatis Dominum DEUM meum offendi.

In ſchola, & concione aliquoties non ſatìs attentus fui. Ad pulſum ſalutationis Angelicæ ter vel quater non oravi. Indulgentias menſtruas, & liberationes animarum hoc menſe ſemel, & antehac ter vel quater neglexi. Preces Congregationis quinquies omiſi.

Priore hebdomade, comedi die Mercurij carnes, à quibus ratione Scapularis debuiſſem abſtinere. Etiam heri carnem comedi, ignarus, atque immemor vigiliæ, & jejunij. Semel, præter intentionem, incurri periculum graviter peccandi, ſed, per DEI gratiam, non nocuit.

Aliquoties cogitationes blaſphemas contra DEUM, & dubitationes circa fidem habui, ſed illibenter, & ſine conſenſu. Etiam turpes phantaſias, & commotiones paſſus ſum, contra meam voluntatem: dubito, an debita promptitudine reſtiterim illis. Semel die feſto non audivi Sacrum, ſic Medico volente, propter morbum.

Contra alium ſemel vehementer excandui, eíque grave malum imprecatus ſum,

neſcio,

neſcio, an ſatìs deliberatè. Olim in pueritia commiſi aliqua contra caſtitatem, puto autem, me tunc non ſatís agnoviſſe malitiam illorum peccatorum.

De his & omnibus alijs &c.

QUÆRITUR.

Quid de hac nona forma confeſſionis ſentiendum ſit.

Reſpondetur, Jacobum bona quidem mente, ſed non ex arte confeſſum eſſe.

Erravit autem potiſſimùm in hoc, quòd in tota confeſſione ſua non attulerit materiam ſufficientem pro Sacramentali abſolutione: nempe nullum certum, atque indubitatum peccatum à ſe commiſſum, quod ſolum apta, ſufficiénſque materia eſt, pro conſecutione dictæ abſolutionis.

Omnia enim, quæ in ſua confeſſione ſatìs prolixè recenſuit, nihil aliud ſunt, quàm imperfectiones, & peccata dubia; tentationes item, ſine conſenſu, & commiſſiones, omiſſionéſque ſine culpa.

Debe-

Debebat ergo ad evitationem hujus erroris, ſe meliùs ante confeſſionem examinare; diſpiceréque, an nullum ejuſmodi certum & indubitatum peccatum ab ultima confeſſione commiſerit: ſíque tale inveniſſet, adjungere illud alijs ſuis impefectionibus, ac dubijs peccatis.

Si verò nullum tale reperiſſet, poſito, quòd vellet confiteri, & abſolvi, poterat & debebat accipere antiquum aliquod peccatum, ídque certum, & indubitatum, ex vita præcedente, & in alijs confeſſionibus jam aliquando expiatum, ídque rurſum confiteri, eo modo, quo ſuperiùs in ſeptimo Paradigmate oſtenſum eſt.

PARADIGMA DECIMUM CONFESSIONIS

Vitioſæ ob carentiam debitæ claritatis, & integritatis.

KIlianus tempore Paſchali ita confitetur.

Habui malas cogitationes, ſuperbas, iracundas, incaſtas, guloſas, invidioſas ſæpiſſimè:

Digitized by Google

piſſimè: & quidem interdum libenter, & cum aſſenſu; quandoque autem non libenter, & ſine aſſenſu. Me ſingulis menſibus ſemel aut bis inebriavi. Feci furtum. Alijs detraxi. In quadrageſima comedi carnes. Aliquoties non audivi Sacrum.

Duodecies peccavi contra caſtitatem. Habui etiam deſiderium, & propoſitum faciendi aliquid mali. Veritatem non dixi. Blaſphemavi. Juravi, & Sacramentavi, trigeſies plùs minùs. Sæpe alijs fui malo exemplo, & multa dedi ſcandala.

QUÆRITUR.

Quid de hac decima forma confeſſionis ſit ſentiendum?

RESpondetur, Kilianum ſatìs indoctè, atque imperitè confeſſum eſſe.

Primò. Quia confeſſionem ſuam malè incœpit, & malè finivit; dum nihil antè præfatus eſt, & nihil eidem ſubjunxit: imò & tempus ſubticuit, quo ultimam peregit confeſſionem, quod tamen hîc proferre neceſſarium erat; cùm poſtea ſe accuſaverit de

ebrietatis peccato ſingulis menſibus commiſſo.

Secundò. Quia peccata ſua adeo neglectim, turbatéque recenſuit, ut neque ſpeciem, neque numerum, neque alias circumſtantias ſufficienter expreſſerit.

Tertiò. Quia hoc modo non ſuo tantùm Confeſſario, ſed etiam ſibimet moleſtiſſimum laborem creavit: dum ſcilicet Confeſſarius ferè omnia repetere, atque (ut dicere ſolemus) recapitulare coactus eſt; pœnitens verò ad omnia debuit reſpondere.

Quartò. Quia taliter confitendo, ſeipſum expoſuit periculo invalidæ, & forſan etiam ſacrilegæ confeſſionis, ob culpabilem defectum debitæ claritatis, & integritatis.

EPILOGVS LIBRI

Seu

FINALIS DISSERTATIO DE CAVENDIS PERICULIS INVALIDÆ, ET SACRILEGÆ CONFESSIONIS.

Finalis diſſertationis ſcopus.

Ad Lectorem.

I.

QUamvis ea, quæ ad bonum, & laudabilem uſum Sacramenti pœnitentiæ ſpectant, videantur per decurſum hujus operis ita tractata, & declarata eſſe, ut ſperari poſſit, eorum, qui librum lecturi ſunt, voto, & deſiderio ſatisfactum iri, *Lector benevole*, conſultum tamen nobis viſum eſt, iis, quæ hactenus de propoſito argumento prolixiùs explicata ſunt, pro clauſula, & coronide hujus tractatûs brevem aliquam apponere diſſer-

diſſertationem, *de malo ejuſdem Sacramenti pœnitentiæ uſu, déque periculis faciendi invalidam, & ſacrilegam confeſſionem*: id quod duplici modo contingere poteſt. *Primò*, ſi quis ſciens & prudens in confeſſione reticet aliquod peccatum mortale, aut quod ipſe opinatur eſſe mortale, vel de quo dubitat, an ſit mortale. *Secundò*, ſi quis confeſſionem Sacramentalem non quidem per reticentiam moraliter peccaminoſam, ſed per alium defectum, ſive errorem æquè culpabilem ita vitiat, ut ea reddatur invalida, & ſacrilega.

II. Nobis de *primo modo* invalidè, & ſacrilegè confitendi in præſentiarum ſermo non erit, ſed de *ſecundo* duntaxat. Et hoc ideo, quia malitia *primi modi*, ei, qui eâ laborat, manifeſta eſt, atque aperta; unde quemadmodum ea facilè agnoſcitur, ita non difficulter, ſi quis velit, cavere illam vel emendare valet. *Secundi* verò perverſitas *modi* magìs tecta eſt, ac minùs nota, & hoc ipſo quia minùs patet, magìs nocet, eò periculoſior, quò occultior. Et hæc noſtræ cauſa eſt diſſertationis, & *hic ſcopus*: Latentem ſcilicet dictæ malignitatis indolem clariùs expli-

explicare, atque ita oſtendere, ut probè agnoſcatur, & bene agnita ſolicitè, ſtudioséque caveatur.

De culpabili ignorantia, & cæcitate animi, déque cauſis illius.

III. INter graviores pœnas DEI & majora pereundi pericula eſt *culpabilis ignorantia, & cæcitas animi*, per quam homo mala animæ ſuæ, ex ſuamet culpa, non agnoſcit, non apprehendit, non perſentiſcit, adeo ut, cùm ſit in miſerabili ſtatu, atque in maximo verſetur æternæ damnationis diſcrimine, ſuî tamen ſecurus vivat, nil mali timeat, tanquam longè remotus ab ea, quæ ipſi imminet, calamitate.

IV. Si *quæras*, ex quo fonte tantum ſcaturiat malum; quæ cauſa, & origo illius ſit; unde proveniat ignorantia tam periculoſa, & tam perniciosa cæcitas animi; *Reſpondeo*, non unam, ſed plures eſſe cauſas illius, quæ tamen omnes facilè ad pauciores reduci poſſunt, nempe ad ſequentes.

Digitized by Google

Prima eſt. Exiguus timor DEI, & modica cura ſalutis. Tepiditas, & ignava ſocordia in divino ſervitio, Laxitas vitæ, morúmque diſſolutio.

Secunda. Cruda, craſſa, & nimis laxa conſcientia. Scrupuloſitas item cum perverſitate, & malitia conjuncta.

Tertia. Vanitatis, & voluptatis amor immodicus, Prudentia mundi, & ſapientia carnis, ac nata inde mala principia, falsáque dictamina.

Quarta. Conſuetudo ſcienter ac deliberè peccandi venialiter. Et multò magìs facilis lapſus, & frequens relapſus in graviora delicta, contractúſque ex crebra peccatorum iteratione malus habitus, præſertim in vitio carnis.

Quinta. Tumor animi, & ſuperba elatio mentis, quâ quis ſibi nimiùm credit, nimiùm fidit, occaſiones & pericula peccandi non vitat; audacter peccat, & peccâſſe videri non vult, ac proinde ſcelera ſua abſcondit, fateri erubeſcit, eáque extenuat, *excuſationes quærens in peccatis.* (*a*)

Sexta. Directionis, & inſtructionis alienæ neglectus, vel contemptus, dum quis

ſibi

ſibi ſoli ſapit, séque ſuo unius judicio, & conſilio regit; ab alijs doceri refugit moneríque non ſuſtinet. Hæc genuina prædictæ ſuperbiæ ſoboles eſt, de qua Princeps Aſcetarum ſic loquitur: *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus hominem pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cùm neglectis conſilijs ſeniorum* (Superiorum, Patrum Spiritualium, Confeſſariorum, aliorúmque) *ſuo judicio perſuaſerit, definitioníque confidere.* (*b*)

De infelice conditione illorum, qui Sacramento pœnitentiæ ſacrilegè abutuntur.

V. INter malignos culpatæ ignorantiæ effectus etiam eſt *invalida, & ſacrilega confeſſio*, (ſicut dictum) non ſemper manifeſta, & aperta per ſtudioſam reticentiam lethalis noxæ, ſed ſæpenumero tecta atque occulta, per accuſationem ſui, apparenter quidem, & juxta ſenſum humanum, veram & bonam, in veritate tamen, réque ipſa, atq; in oculis DEI falſam & malam: *falſam* ideo, quia per errorem culpabilem valori,

& efficaciæ Sacramenti obicem ponit: *malam* ideo, quia per dictum errorem confeſſio redditur invalida, atque impio ſacrilegio contaminatur.

VI. O quàm malè ſibi conſulunt, qui tali ratione ſibimet ipſis imponunt, quique (ut phraſi Scripturæ utar) *maliuntur fraudes contra animas ſuas.* (c) Dum nimirum per affectatam, & quaſi quæſitam ignorantiam ſibi laqueos & pedicas parant, quibus irretiti in miſeram prolabuntur calamitatem, & quodammodo in certam delabuntur animarum ſuarum ruinam; uti enim malus & ſacrilegus Sacramenti pœnitentiæ uſus grandis eſt culpa, ita clades ingens & magna animarum ruina eſt: ut qui non unam tantùm ſibíque propriam lethalis culpæ malitiam in ſe continet, ſed etiam aliorum plurimorum, & maximorum ſcelerum longam poſt ſe ſeriem trahit.

VII. Cogita, quanta ſit perverſitas, & quàm deteſtabilis impietas, ſi quis illud Sacramentum, quod bonitas DEI, Chriſtíque inſtitutio conſtituit in remedium ſalutis, ſibi convertat in occaſionem perditionis, antidotum cōmutans in venenum; confeſſionem

in

Digitized by Google

in confeſſionem; abſolutionem, in condemnationem! Et quanta tali culpæ, támque gravi delicto pœna imminet atque vindicta ab irato DEO!

VIII. Ecce infelices iſti coram Sacerdote de ſuis ſe delictis accuſant, eorum tamen veniam, & indulgentiam non obtinent: ſceleribus onuſti ad ſacrum tribunal accedunt, & cum eodem culparum onere, atque inſuper cum novi additamento ſacrilegij inde recedunt.

IX. Et tamen (quod non tam admiratione, quàm commiſeratione dignum eſt) tot illi, tantorúmque delictorum ſarcinâ preſſi, gravamen oneris ſui longè graviſſimi non ſentiunt, non dolent, non ingemiſcunt ſub eo. Quis huic malignæ non condoleat, & malè metuat indolentiæ! In malo illi verſantur ſtatu, culpáſque mortiferas continuò in ſuo ſecum circumferunt ſinu, & tamen ſe juſtos atque innocentes exiſtimant, conſtitutos in gratia DEI, non odio, ſed amore dignos. At malè: *Viventes enim mortui ſunt*, (*d*) *nomen habent, quòd vivant*, non tamen vivunt, ſed *mortui ſunt*, (*e*) certò aliquando, niſi re-

viviſcant, & reſipiſcant, *ſepeliendi in inferno.* (*f*)

Doctorum auctoritas virorum, circa præſens argumentum.

X. Ex hactenus dictis utcunque liquet, invalidam, & ſacrilegam cõfeſſionem grande malum, & periculoſæ plenum opus eſſe aleæ. Nunc itaque reſtat, ut *negotium* iſtud *perambulans in tenebris* (*g*) & ad tenebras perducens producamus in lucem, idque per claram explanationem ita declaremus, ut latentia ſacrilegæ deceptionis pericula perſpicuo cernamus intuitu, ſolertíque curâ, & prudenti declinemus cautelâ. Ut autem hic labor declarationis noſtræ plus roboris atque efficaciæ habeat, plus ponderis ac momenti, juvat validiſſimis veritatem doctrinæ hujus firmare, & ſtabilire fulcris, *teſtimonijs* ſcilicet, atque *autoritatibus* omni majoribus exceptione.

XI. Sacra paræmia eſt: *Qui navigant mare, enarrant pericula ejus.* (*h*) Hi ſunt ſancti doctique viri, qui animas hominum, & conſcientias regunt, quique diſcretione ſpiri-

ſpirituum pollent, moréſque humanos ſapienter dijudicare nôrunt, juxta donum à DEO datum, de quo Apoſtolus inquit: *Spiritualis omnia judicat.* (*i*) Hi, inquam, periti Naucleri ſunt, qui nobis *pericula maris enarrare* poſſunt, qui nos de ſyrtibus & ſcopulis, de Scylla & Charybdi, de ventis ac procellis, in vorticoſo hujus mundi pelago occurrentibus, edocere valent, & commonefacere. Et verò *Patres noſtri narraverunt nobis, & annunciaverunt nobis.* (*k*) Audiamus illos, & diſcamus Sacramentalem Confeſſionem eo peragere modo, ut ea nobis non in ruinam cedat & ſcandalum, ſed in magnum vergat, & gratiæ, & gloriæ incrementum.

XII. Ex pluribus, qui materiam præſentis argumenti tractârunt, quatuor eligo ac propono viros, virtute, & eruditione præſtantes, quorum

Primus eſt. Joannes Nadaſi.
Secundus. Paulus de Barry.
Tertius. Alphonſus Rodriquez.
Quartus. Paulus Segneri.

Omnes præclari Aſcetæ, & Spiritûs Magiſtri, ex editis libris, Sacrâ ſapientiâ, & ſcien-

tiâ

tiâ plenis, celebres ac noti. Ordiamur à *primo*, progreſſuri deinceps ad *ſecundum*, *tertium*, & *quartum*; quibus ſubjungetur *Auctoritas* Sacræ Scripturæ, & *teſtimonium* S. Auguſtini per modum devotæ orationis prolatum.

CONSILIUM
R. P. Joannis Nadaſi Societatis JESV.
De
CAVENDO PERICULO INVALIDÆ, ET SACRILEGÆ CONFESSIONIS, PROVENIENTE EX DEFECTU DILIGENTIÆ IN SACRAMENTO POENITENTIÆ NECESSARIO ADHIBENDÆ, ETIAM CIRCA NARRATIONEM MINUTORUM, ET MERE VENIALIUM PECCATORUM.

XIII. Citatus Auctor in Tomo ſeu libro, qui *Annus amoris DEI in menſes duodecim diſtributus* inſcribitur, in menſe tertio, exercitatione vigeſima octava, quam ille *artem divini amoris* appellat, *paginâ* 112. notabilem de periculo jam indicato doctrinam tradit, quam ego fideli

fideli calamo deſcriptam, ijsdem, quibus ille uſus eſt, verbis huic noſtræ appono, inſeróque diſſertátioni.

TITULUS PARAGRAPHI.

Venialium peccatorum fuga eſt fuga inferni.

VEniale peccatum (*ait Auctor*) eſt magnum impedimentum amoris Dei, magna in nobis operaturi, ſi illud removeretur: & ſæpe ſternit viam ad infernum. Unde S. Anſelmus animam, peccata venialia cavere non curantem, ita alloquitur. *O lignum aridum, & inutile! quid reſpondebis in illa die? tunc condemnabitur, quidquid fuerit inventum in te operis, vel otioſi ſermonis, & ſilentij, uſque ad minimam cogitationem. Væ! quot peccata ibi proruent ex improviſò, quaſi ex inſidijs, quæ modò non vides. Certè plura, & fortaſſe terribiliora his, quæ nunc vides; &c.* (*l*)

XIV. Ut ergo periculum effugias; (*pergit auctor*) cave datâ operâ ullum quantumvis veniale peccatum committere: per incon-

inconſiderantiam verò commiſſa expia non obiter, ſed ſeriò, ac dolenter, ex motivo amoris DEI.

Periculum ex confeſſione peccatorum venialium negligenter facta.

Eò increſcit aliquando illa non-curantia venialium peccatorum, ut etiam confeſſio de illis fiat inconſideratè ac negligenter, è frigido quodam uſu ac more: id quod eſt, *appropinquare ad portas inferni.* (*m*) Teſtem habemus hujus Religioſum illum virum, qui poſt mortem cuidam dixit, *ſe ob venialia ſua peccata, negligentiùs, & è conſuetudine tantùm, ſine dolore confeſſa, fuiſſe in periculo damnationis æternæ*: at puri è DEI amore doloris gratiam ſibi impetratam eorum precibus, qui adfuêre morienti.

XV. Addebat, eam negligentiam DEO maximopere diſplicere, ſéque ob illam damnatum ad purgatorij tormenta uſque ad extremum diem judicij: nunc verò miſſum, ad alios de maximo illo periculo ad mo-

monendos. Nam licèt venialia confiteri non tenearis, ſi tamen illa confiteri velis, teneris etiam dolere de illis. Dixit, & videri ſimul deſijt, & audiri. (*n*)

Salubre conſilium.

XVI. Roga ergo Spiritum Sanctum, ut cor tuum amore ſuo inflammet ante confeſſionem, qui te dolere doceat, etiam de venialibus. Nam neceſſarium eſt, ut ſi non de omnibus peccatis venialibus, quæ confiteris, certè de uno vel altero doleas. Aliàs, ut bene notat Vaſquez, eſſet ſacrilegium, ſine ullo dolore confiteri.

XVII. Unde non deſunt, qui aliquod mortale antè actæ vitæ peccatum, vel aliquod veniale paulò gravius addant in fine ordinariæ confeſſionis, ac de illo quoque, licèt aliàs confeſſo, doleant, ut ſint magìs certi de materia, & dolore, atque propoſito. Nam confeſſa, & dimiſſa aliàs peccata (etiamſi de illis ſolis, cum dolore tamen, confitearis) poſſunt eſſe ſufficiens materia Sacramenti, ut tenet Vaſquez, & ferè alij Theologi. *Hucuſque Joannes Nadaſi.* Vide hac

de hac de re ſuprà *parte. 1. cap. 1. §. 3. num. 10. 11. 12.*

DOCUMENTUM
R. P. Pauli de Barry Societatis JESV.
De
VITANDO PERICULO INVALIDÆ, ET SACRILEGÆ CONFESSIONIS, PROVENIENTE EX NIMIA AUSIONIS, PROVENIENTE EX NIMIA AUDACIA FORMANDI SIBI JUDICIUM IMPRUDENS DE QUALITATE ET QUANTITATE CULPARUM SUARUM.

XVIII. NOminatus Auctor in libro, cujus inſcriptio eſt : *Solitudo Hagiophila, ſive inſtructio ad annua octo vel decem dierum exercitia ſpiritualia utiliter peragenda*, in ſecundi diei diſſertatione matutina, *mihi paginâ 93.* inter alios defectus, qui in confeſſione contingere poſſunt, etiam hujus, de quo jam mentio facta eſt, meminit, cúmque brevi quidem, ſed claro, perſpicuóque ſermone declarat.

Tex-

Digitized by Google

Textus verborum illius talis eſt.

XIX. Quintus defectus eſt, proprio Marte ſibi formare conſcientiam, nimis facilè decernendo, non petitâ ullius Auctoris idonei ſententiâ, actionem hanc peccatum non eſſe, aut non eſſe lethale, cùm tamen ejuſmodi ſit: unde evenit, animam aliquando propter culpabilem ignorantiam, eſſe mortali peccato infectam, nec ritè confiteri, aut ſacram ſynaxim accedere, exponíque periculo, in tali ſtatu moriendi, æternúmque pereundi.

XX. Quare conſultiſſimum eſt, eos audire, qui doctrinâ pollent, qui animarum ſaluti incumbunt, quíque hoc negotium peritè tractant; non verò ſibi fidere, & ſuis affectibus blandiri, qui ſæpe, quod revera peccatum eſt, & ſubinde mortale, rem eſſe licitam, aut aliàs indifferentem proponunt.

XXI. Memini (*ait Auctor*) quantùm aliàs laboraverim, ut quibusdam hominibus perſuaderem, res à tota Theologorum ſchola peccati damnatas, eſſe malas, & periculi plenas; neque ſatis ſcio, an fidem obti-

nuerim. Nónne lepidum eſt, quòd aliqui, qui nunquam ſtuduerunt, nullius rei, quàm garrulitatis ſunt periti, quíque nullum in Eccleſia munus obtinent, agant Doctores, velíntque reſolvere, & determinare puncta, ſoli ſubjecta judicio clavium, quas DEUS Eccleſiæ, ſuíſque adminiſtris concredidit.

XXII. Si ſua illa loquacitate, nimiáque fiducia perdiderint nonnullas animas, aut plurimorum ſcelerum fuerint auctores, vide, qualem ab ijs, aliíſque, qui conſcientiam ſibi fingunt, rationem aliquando exacturus ſit ſupremus Judex. *Hucuſque Paulus de Barry.*

Digitized by Google

MONITUM
R. P. Alphonſi Rodriquezii Societatis JESV.
De
CAVENDO PERICULO INVALIDÆ, ET SACRILEGÆ CONFESSIONIS, PROVENIENTE A NIMIS OBSCURA, ET NON SATIS FIDELI ACCUSATIONE SUI, DE PECCATIS CASTITATI CONTRARIIS.

XXIII. PRædictus Auctor in tertia parte libri, cujus titulus eſt, *Exercitium perfectionis, & virtutum Religioſarum*, tractatu quarto, in quo agitur de virtute & voto caſtitatis, capite quarto, *paginâ 314.* periculum modò inſinuatum nonnihil fuſiùs exponit, próque evitatione ejus utiliſſimas apponit inſtructiones: quæ omnia ad noſtram utilitatem, ſub eodem, quo ille uſus eſt, verborum tenore hîc lubet annotare.

Habenda maxima in Confeſsione eorum ratio, quæ caſtitati quoquo modo adverſantur.

XXIV. Sanctus Bonaventura de Confeſſione agens, generale quoddam, ac perutile omnibus documentum tradit, ne ſcilicet in confeſſione minutias turpiculi quidvis continentes, quaſi aut peccata non ſint, aut certè non mortalia (venialium enim detectio arbitraria) prætermittant: eò quòd hæc graviſſimorum ſæpe malorum, quin æternæ damnationis janua non paucis extiterit. Avertat hanc à te DEUS mentem, ne iſtam dœmoni feneſtram unquam aperias, quâ unicâ, ſi potiatur, perijſti.

XXV. Quippe pudori patrocinante levitate materiæ, facillimo negotio te adducet, ut credas, peccatum non fuiſſe, quod revera erat, vel certè de quo, an eſſet, dubitâras, adeoque confiteri omittas. Cui præpoſteræ verecundiæ ij ferè obnoxij ſunt, qui cæterà probi, nec mortalibus aſſueti culpis, fortè aliquando periculoſiùs ceſpitant.

Tum

Tum enimverò ſuperbia, propriæque exiſtimationis retinendæ inſitus amor, revireſcere, ejusdémque apud Confeſſarium amittendæ metus mirè hominem affligere ſolet. Inde varia conquirit argumenta, quibus ſibi perſuadeat, rem, cujus pudore tenetur, ad lethalis culpæ gravitatem minimè accedere, neque adeo confitendam eſſe.

XXVI. Aliàs, tametſi rem non penitus ſupprimit, ſic tamen elevat, iísque vel verborum deſcribit ambagibus, vel involucris tegit, ut vel omninò non intelligatur, vel certè non appareat gravitas, quod idem eſt, ac ſi de ea omnino tacuiſſet: nam quæ ſub confeſſionem cadunt, ſic explicari oportet, ut Confeſſarius de ſingulorum gravitate liquidò poſſit cognoſcere; &, qui rem aliquam ſic confitetur, ut vel peccati ratio planè non cernatur, vel certè illius gravitas, notabilíſve circumſtantia non ſatìs diſpiciatur, perinde eſt, ac ſi rem integram ſuppreſſiſſet. Scilicet præpoſtera iſta verecundia, aut potiùs ſuperbia ita miſèros occæcat, vetátque ritè ſeſe patefacere.

XXVII. Exiguum verò, vel nullum potiùs de ſuis peccatis dolorem ſentiat, opor-

tet, cui ne ad ea quidem Confeſſario, ut decet, aperienda, ſatìs eſt animi, candoríſque. Qui tamen ipſe pudor, ſi, ut par eſt, vincatur, & in delicti compenſationem Numini offeratur, nimiùm quantùm eidem propitiando idoneus eſt. Ac deberet ſanè quemvis vel ſola, quam in manifeſtandis ejuſmodi experitur, difficultas, & repugnantia ſuſpectum ſibi reddere, atque ad patefaciendum, quidquid id tandem eſſet, vel eo ſolo nomine permovere, quòd & hujus repugnantiæ, ſuíque adeo ipſius victoria glorioſa eſt, & neque carni, neque dœmoni decet acquieſcere.

XXVIII. Accedit, quòd indoctis multa in negotio caſtitatis non videantur peccata mortalia, & tamen revera talia ſint: alia ſint valde dubia, quæ eo ipſo tenetur is, cui dubia ſunt, ſub mortali confiteri. Et verò cùm Confeſſarius ipſe, quamvis doctus, in dijudicanda peccati gravitate ſæpe hæreat, quî tandem convenit, ut reus in propria cauſa tam facilè ſe à peccato mortali, adeóque ab ejus confitendi onere ipſe abſolvat?

XXIX. Gravi ſanè periculo talis ſe offert,

præ-

præſertim ubi videtur jam averſari, imò ſi poſſet fieri, nollet factum eſſe, vel certè (ob pudorem confeſſionis) non tantum apparere. Equidem hunc ſuæ ſalutis numquam ſecurum eſſe juſſerim. Cùm enim propria cujuſque conſcientia ſit inſtar mille teſtium, quid attinet confiteri minutiora, omiſſis de induſtria, nec ſine remorſu, gravioribus; & quæ ſub vitæ finem haudquaquam omitteret.

XXX. Quid ea nunc ſiles, cùm confeſſionem quamlibet (idem de cæteris noſtris actionibus intelligo) tanquam ultimam peragere conveniat: Quodſi *bonarum mentium eſt*, ut magnus ajebat Gregorius, *ibi etiam aliquando culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt*, certè perverſarum mentium contrarium erit, non timere ſcilicet culpam, ubi eſt materia timendi.

Obiectio, & frivola excuſatio.

XXXI. Atqui dicet aliquis, hoc illúdve ad ſcrupulorum brevia, & ſyrtes evitandas confiteri omitto. Hic nimirum alter dœmonis aſtus eſt. Sed falleris, mi bone, falleris: non eſt hoc in ſcrupulos, laqueóſque

que ſeſe induere: nam qui virtuti ſeriò inſiſtunt, & hæc, & his minora confitentur, non quòd cogantur, ſcrupulíſque diſcrutientur, ſed tum devotionis ergo, tum honoris debiti Sacramento.

XXXII. Tanta quippe puritas hîc requiritur, ut virorum ſpiritualium conſilio de ijs, quæ culpâ vacant, te rectè accuſaveris, dicendo: *Accuſo me, Pater, de inhoneſtis, quas habui, tentationibus.* Et, ſi quidem tibi ad eas propulſandas videaris fuiſſe ſegnior, fateri etiam ipſam, quamlibet levém, ac venialem negligentiam convenit. Quamquam raro omnis negligentiæ culpa (ob facillimam harum rerum contagionem) abeſſe ſoleat.

XXXIII. Sed, ut te nulla mordeat culpa, indicare tamen expedit, quas habueris varias cogitationes, tentationéſque inhoneſtas: quo item pacto victoriam ex ijs (ope quidem divina) tibi reportâſſe videaris. Idem de cogitationibus adversùs DEUM, Sanctos, aut fidem oriri ſolitis, conſilium dant. Imò his adhuc minora nolunt clam Confeſſario eſſe, ut quæ per ſomnum (ubi culpa utique locum non habet, quia nec liber-

libertas) uſu veniunt. Ejuſmodi, inquam; illuſiones, vel humilitatis ſtudio, pateſieri ſuadent; neque enim jubent, cùm præceptum hoc non ſit, niſi ſi quam fortè anſam, causámve ijs antè præbueris. Sic, qui timoratæ ſunt conſcientiæ, priùs de ejuſmodi illuſionibus ſeſe reconciliare ſolent, quàm diviniſſimo epulo accumbant.

XXXIV. Quærunt tandem Theologi, de his illuſionibus, ſítne idcirco omittenda communio, nec ne? ajúntque, pro majore reverentia in poſterum, aut alium diem differri poſſe, niſi quid obſtet, ut eſſet in Religioſo, qui, reliquo cætu accedente, vix ſine nota ſolus abſtineret. Sed, ut ipſis liceat accedere, certè prædictum conſilium ſecuriſſimum fuerit. *Hucuſque Alphonſus Rodericius.* Vide *hâc de re ſuprà part. 1. cap. 3. §. 2. num. 6. 7. 8.*

DOCTRINA
R. P. Pauli Segneri Societatis JESU.

De

VITANDO PERICULO INVALIDÆ, ET SACRILEGÆ CONFESSIONIS, PROVENIENTE EX CULPABILI IGNORANTIA, ET ALIIS CAUSIS.

XXXV. COmmemoratus Auctor, in libro, cujus titulus, & inſcriptio eſt: *Inſtructio pœnitentis; ſive opuſculum, in quo traditur praxis ritè peragendi confeſſionem Sacramentalem*, multa de argumento diſſertationis noſtræ præclarè tractat, præſertim in capite tertio, quarto, & decimo ſexto, agens de *peccatis occultis*, & de *confeſſione generali*, quandoque propter ejuſmodi peccata neceſſariò inſtituenda. Nos ea, quæ ad rem noſtram magis idonea videntur eſſe, decerpemus, & huic noſtro adjungemus diſcurſui.

XXXVI. De *peccatis occultis* Auctor hunc in modum diſcurrit. Juſtâ permotus

tus causâ David rogavit Dominum, ut ſeipſum ab occultis perpurgaret: *Ab occultis meis munda me.* (o) Sæpe enim evenit, ut Divina Juſtitia ad caſtiganda peccata, quæ advertentes commiſimus, permittat nos labi in alia, quæ ob negligentiam noſtram non obſervamus commiſſa. Oportet ergo ſcire, duplicem eſſe ignorantiam, ut rectè intelligamus præſentem doctrinam. Una eſt *culpabilis*; altera *inculpabalis.*

De ignorantia inculpabili.

XXXVII. Eſt, qui omnem diligentiam adhibet ad cognoſcendam veritatem circa ea, ad quæ conſcientia illum obligat: ponderat, interrogat, conſilium poſtulat: veruntamen, quia vel modicæ eſt capacitatis, vel nullum habet, à quo doceatur, remanet in ſua ignorantia, quâ olim involutus erat Saulus in principio ſuæ converſionis, nihil omittens ad videndum; nec tamen quidquam intueri poterat: *Apertíſque oculis nihil videbat.* (p) Talis ignorantia, cùm non ſit voluntaria, vel ex ſe, vel in ſuo effectu, eſt excuſabilis, nec pœnam meretur, ſed commiſerationem. Ita nemo non condolet cæ-

co, ſi impingat: mox enim, ſi titubantem videt, occurrit, & in viam dirigit, ne prolabatur: quemadmodum Saulus quoque à comitibus perhumaniter fuit deductus.

De ignorantia culpabili.

XXXVIII. Viciſſim nullus compaſſionis ſignum oſtendit erga eum, qui ſtudio oculos claudit, ne videat; atque in progreſſu malum ſibimetipſi conſciſcit: quin potiùs omnium vox eſt: *Meritò hoc ei accidit infortunium; cur non oculos apertos tenuit, & præcavit lapſum?* Eâdem omnino ratione Dominus DEUS nullam gerit comiſerationem cum ijs, qui hujusmodi excæcati ſunt ignorantiâ: éſtque voluntaria, neque excuſat peccata, quæ ex ipſa proveniunt. Quod ita fieri ſolet, *Primò*, cùm homo non expendit rationes conſcientiæ ſuæ. *Secundò*, non ponderat obligationes ſui ſtatûs. *Tertiò*, quando non petit, aut admittit, à quibus poteſt capere, conſilium. *Quartò* denique non ipſi curæ eſt, DEO ſupplicare pro interna illuſtratione.

De

Digitized by Google

De peccatis occultis.

XXXIX. Quare ea peccata, quæ in tali cæcitatis voluntariæ ſtatu patrantur, dicuntur *Occulta*: quia per incuriam ab ejusmodi hominibus non cognoſcuntur; in quo caſu loquitur Propheta: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* (q) Sciens, voléńsque oculis velum obducit, clausísque feneſtris ſolem arcet, ne radius ullus in domum poſſit penetrare. Nemo autem exiſtimet, paucos eſſe invenire, hujusmodi morbo infectos. Utinam non eſſet eorum numerus maximus! Si enim rara eſſent hujus culpabilis ignorantiæ peccata (uti ſibi quidam imaginantur) non tam crebra in Sacris litteris vota audirentur, atque ſuſpiria, quibus lumen è cœlo, ad agnoſcendas vias Domini ſolicitaretur; nec tam frequens petitio veniæ, cum propriæ ignorantiæ deteſtatione, quæ aberrandi cauſa extitit, identidem repeteretur.

Exempla occultorum peccatorum.

XL. Auctor, poſt iſtam culpabilis ignorantiæ, & peccatorum occultorum ex ea pro-

promanantium explicationem, diverſas, eásque ſat multas ejuſmodi delictorum ſpecies, uti & varia hominum ijs obnoxiorum genera prolixè commemorat, quæ omnia ſcitu lectúque digniſſima ſunt. Nos tamen illa, ne diſſertatio noſtra moderatæ brevitatis limites egrediatur, & nimia prolixitas Lectori faſtidio ſit, pleraque omittenda, & prætermittenda eſſe duximus, duobus duntaxat exemplis contenti, *pagina* 48. *&* 33. per ſequentia Auctoris verba declaratis.

Exemplum Primum.

XLI. Prædictorum numerum augent quàm plurimi Juvenum, qui ſe turpi amori penitus mancipant, ac prædam obijciunt, expoliandos. Qui, eò quòd ultimum flagitij actum non compleant, pro nihilo habent verborum obſcænitatem, & inhoneſta deſideria, tanquam peccatis non eſſent annumeranda; & palliando effrænatam libidem ſpecie conſuetudinis, fallendi temporis, & oblectandi animi colore, papilionum inſtar ad ardentis cerei lucem circumſtrepunt, ſuæ incurij ſalutis. Et quid denique hoc

Digitized by Google

hoc aliud eſt, quàm in continua occaſione mortaliter peccandi vivere ſine animo eam deſerendi?

Exemplum Secundum.

XLII. Denique (pergit Auctor) ſuperſunt peccata *ſcandali*, quod committitur, quando vel ſtudio & directè quis intendit alterum inducere in peccatum, aut ſaltem indirectè pravo ſuo exemplo invitat, nullâ illius habitâ curâ. In his caſibus, præter alia peccata, violatur charitas, poſito offenſionis lapide, in quem impingit proximus. Et quis hæc perpendit? quis ſe horum in confeſſione reum facit? cùm quotidie propè, ſive verborum, actionúmve levitate & inhoneſtate in cupiditatum retia impellant animas, eſcâ illiciant, ſcelerum magiſtri, & innocentiam perditum eant. Hi ſunt diabolici aucupes, de quibus conqueritur Dominus apud Jeremiam: *Inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes, quaſi aucupes; laqueos ponentes, & pedicas, ad capiendos viros.* (r)

XLIII. Scandali hujus culpam præ reliquis incurrunt carnis vitio dediti. Non enim

ipſi-

ipſimet libidinum ſuarum ſordes advertunt, (quemadmodum aſſueti ſulphuris fœtori intra montium cavernas vivunt foſſores) cúmque facillimè labantur, facillimè quoque ſecum alios in ruinam pertrahunt.

Finalis criſis de ejuſmodi peccatis occultis.

XLIV. Omnia hæc peccata, præter alia, quæ ex ijs deduci poſſunt, talis ſunt conditionis, ut voluntariam afferant cæcitatem, nec in conſpectum veniant, maneátque occulta eorum malitia, quemadmodum medicorum pilulæ auri folio veſtiuntur, ne percipiatur à ſumentibus amaritudo. Eâdem ratione delicta vel non deteguntur in confeſſione, vel ex conſuetudine ſolùm recenſentur; & ſic graviores fæces remanent in fundo cordis: *Et fæx ejus non eſt exinanita.* (*s*) Ideoque evenit, ut in mortis articulo res longè aliam induant faciem, quàm nunc appareant. O quantò apertiùs multa conſpicientur, mortuali cereo prælucente, quæ nunquam antea fuerunt obſervata!

De

De confeſſione generali, quandoque propter peccata malè expiata, & necdum remiſſa, neceſſaria.

XLV. Verba R. P. Pauli Segneri capite 16. *pagina* 197. ſunt iſta. Duplex inſtituet Chriſtus judcium: unum *particulare*, ſub finem vitæ noſtræ, in quo primam feret ſententiam: *generale* alterum die ſupremo mundi; ubi confirmabit ſententiam antè pronunciatam. In hunc modum procedendum nobis eſt cum anima noſtra. Ac *primò* quidem particulari confeſſione dijudicanda erunt delicta; nunquam antehac in judicium adducta: *deinde* confeſſione generali, quâ confirmantur judicata. Confeſſio iſta, quibusdam ex præcepto incumbit: aliijs permittitur arbitraria.

XLVI. *Confeſſio generalis neceſſaria eſt*, quoties invalidæ præceſſerunt confeſſiones: quod ex duplici capite poteſt evenire; ſive ex parte Sacerdotis, qui caſus rarior eſt; ſive ex parte Pœnitentis, id quod frequentiùs contingit. *Primò*, quando notabilem ad-

miſit negligentiam in examinanda propria conſcientia. *Secundò*, ſi ex verecundia grave aliquod reticuit peccatum, aut in dubio, eſsétne è gravioribus; uti mos eſt eorum, qui ſupprimunt ſilentio quasdam turpitudines, in puerili ætate patratas, tametſi recordentur, ſe ab eo tempore, quo peccârunt, ex pudore remorſum ſenſiſſe; nec operatos fuiſſe malè, niſi in occulto, quòd timerent ab alijs conſpici, & caſtigari. Argumentum hoc non leve eſt, veram tunc fuiſſe malitiam.

XLVII. *Tertiò:* quando verum peccatorum ſuorum dolorem non elicuit, etſi verbis ea confeſſus fuerit: quemadmodum accidit ordinariè, cùm apud eundem Sacerdotem fit confeſſio, qui peccati fuit ſocius: aut cùm ſtudiò ſurdaſter eligitur; aut adeo modicè doctus, ut ab eo congrua atque ſufficiens inſtructio nequeat exſpectari. *Quartò*, quando requiſitum defuit propoſitum, non ampliùs peccandi, deſerendi occaſiones, reſtituendi famam, fortunas; condonandi offenſas: aut quando talia ſe executurum promiſit Confeſſario verbo ſolùm, & non animo.

XLVIII. In his caſibus tanta eſt neceſſitas faciendi confeſſionẽ generalẽ ad reſtaurandum

dum valorem particularium, quanta foret obligatio, ſi nulla unquã præceſſiſſet alia. Sed, miſſa hac neceſſitate, optimum & ſaluberrimum eſt conſilium, univerſam vitam relegere, atque luſtrare ſaltem ſemel per confeſſionem generalem: ac dein per certa intervalla temporis, velut poſt unius anni ſpatium, vel etiam ſæpius, ducto initio à proxima, conſcientiæ ſuæ rationes trutinando.

Fructus & utilitas confeſſionis generalis.

XLIX. Fructus hujus operis eſt, non ſolùm quòd, cùm ſub unum conſpectum ſtatuuntur labes omnes & maculæ, major conſequatur confuſio & erubeſcentia, fortiore animus compungatur aculeo, magìsque ſeſe deprimendi ſtudio afficiatur; verùm etiam, quia timor divinæ juſtitiæ vehementer augetur, cùm recentia delicta præteritis aggeſta, velut in immanem acervum, inſtar montis excreviſſe conſpicitur, ut in veritate cum Eſdra cogatur ſuſpirare: *Delicta noſtra creverunt uſque ad Cælum.* (s)

L. Deinde, quis non videt, abſque tali confeſſione difficulter obtineri conſcientiæ

tranquillitatem, felicitatem ſanè inæſtimabilem, relicto alioqui perpetuo remorſu, ac dubio, præſertim ſi crebri relapſus ex defectu debitæ ad confeſſionem diſpoſitionis provenerunt.

Notabilis Hiſtoria.

LI. O! quot confeſſiones judicantur validæ, nec tamen in veritate ſunt! Quidam longiſſimo tempore purgantibus flammis torquebatur; demum ſpectabilis Filio ſuo amaris verbis exprobrat, nihil ſibi ab eo hactenus quidquam ſubſidij in pœnarum levamentum fuiſſe ſubmiſſum. *Quid*, inquit alter, *Chariſſime Genitor? triginta ab obitu tuo fluxêre anni, nec mihi dies abijt, quo tui non memor fui, DEUM orans.* Verum dicis, infert Pater: ſed oratio tua nihil mihi profuit; vixiſti enim hactenus hoſtis DEI, peccatis oneratus, nec unquam à te ritè fuit peractum Confeſſionis Sacramentum. Scito, te hoc triginta annorum ſpatio plùs tricies Sacrum adijſſe tribunal, irrito ſemper labore, quòd, uti debueras, diſpoſitus non eſſes, maximè verò, cùm ſeria emendationis voluntate careres. Qua admonitione exterritus

ritus Filius, ignarus tanti periculi, mox ſibi cæpit conſulere. *Collect. Ex. 28. de Conf.* Ne exſpectes, donec ex altero Orbe Legatus adveniat, qui te de tuo ſtatu edoceat; ſed ſalutari timore temetipſum excita, atque in una confeſſione, ſingulari cum præparatione ſuſcepta, conjunge, quidquid ſparſim aliàs doloris, & contritionis elicueras, veluti magnum mare, in cujus abyſſum univerſæ vitæ errata demergantur.

LII. Denique quid ſalubrius ad inſtituendam novam vivendi rationem? quæ ſecurior induſtria intrepidè operiendi mortis adventum? quæ diligentia accuratior, perveniendi in notitiam abditorum ſcelerum, & ſolemni quaſi venatu feras è latibulis ſuis extrahendi? Verùm à nemine fructus iſti percipiuntur, niſi qui rei ipſemet cæpit experimentum: unde exurgit apud eos conſolatio, qui prædicto ſtudio fuerunt confeſſi. Hâc peractâ quietè licebit vivere, abſque cura vel minimum quid repetendi. Hucuſque P. Pauli Segneri.

(o)

Teſtimonia Sacræ Scipturæ, approbantia, & quodammodo obſignantia veritatem eorum, quæ hucuſque dicta ſunt.

LIII. Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem, *Prov. 16. 25.*

Generatio, quæ ſibi munda videtur, & tamen non eſt lota à ſordibus ſuis. *Prov. 30. 12.*

Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate, coram me; dicit Domins DEUS. *Jerem. 2. 22.*

Scio opera tua: quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es. *Apoc. 2. 3.*

Dicis, quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo: & neſcis, quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. *Apoc. 3. 17.*

Me de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit, & judicium DEI ſui non dereliquerit; rogant me judicia juſtitiæ; appropinquare

volunt

volunt DEO. Tu clama, & annuncia populo meo ſcelera eorum. *Iſai.* 58. 1.

Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt. *Eccli.* 11. 16.

Neſciêrunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. *Pſal.* 81. 5.

Cæcus (per ignorantiam & errorem culpabilem intellectûs) ſi cæco (voluntatis affectui) ducatum præſtat, ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. 14.

Juvenes viderunt lumen, & habitaverunt ſuper terram, viam autem diſciplinæ ignoraverunt; intellexerunt ſemitas ejus, neque ſuſceperunt eam: à facie illorum longè facta eſt. *Baruch.* 3. 20.

Ignoraverunt lucem: ſic in tenebris, quaſi in luce, ambulant. *Job.* 24. 17.

Reliquerunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas. *Prov.* 2. 13.

Auferetur ab impijs lux ſua. *Job.* 38. 15.

Viæ impiorum tenebroſæ, & neſciunt, ubi corruunt. *Prov.* 4. 19.

Nolite fieri, ſicut hypocritæ. *Matth.* 6. 16.

Nolite aſſimilari eis. *Matth.* 6. 8.

Tenebris obſcuratum habentes intellectum: alienati à via DEI, per ignoranti-

rantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis. *Epheſ.* 4. 8.

Væ! qui dicitis malum, bonum; & bonum, malum; ponentes tenebras lucem, & lucem, tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. *Iſai.* 5. 20.

Si quis ignorat, ignorabitur. 1. *Cor.* 14. 38.

Maledictus, qui facit opus DEI fraudulenter. *Jerem.* 48. 10.

Spes hypocritæ peribit. *Job.* 8. 13.

Gaudium hypocritæ, eſt inſtar puncti. *Job.* 20. 5.

Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum cœlorum. *Matth.* 7. 21.

Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nónne in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; quia nunquam novi vos. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem. *Matth.* 7. 22.

Tunc incipietis dicere: manducavimus panem coram te. Et dicet vobis; diſcedite à me operarij iniquitatis. *Luc.* 13. 27.

Et

Digitized by Google

Et clauſa eſt janua. Noviſſimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen, amen dico vobis; neſcio vos. *Matth.* 23. 10.

Oratio S. Auguſtini pro evitatione periculoſæ ignorantiæ & malitiæ occultæ.

LIV. Ecce, Domine, adverſarius & inimicus noſter tetendit ante pedes noſtros laqueos infinitos, & omnes vias noſtras varijs replevit decipulis, ad capiendas animas noſtras. Et quis effugiet? Sed tu, Domine, libera nos de laqueo venantium, & à verbo aſpero, ut confiteamur tibi dicentes: *Benedictus DEUS, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus.* (*t*)

LV. Et tu quidem, Domine, lux mea, illuminans oculos meos, ut videam lumen, & ambulem in lumine tuo, & non impingar in laqueos ejus. Quis enim evadet laqueos iſtos, niſi videat eos? & quis videbit

eos, niſi quem illuminaveris lumine tuo? Ipſe enim Pater tenebrarum laqueos ſuos abſcondit in tenebris ſuis, ut capiantur in eis omnes, qui ſunt in tenebris ſuis: qui ſunt filij tenebrarum harum, non videntes lumen tuum, in quo qui ambulat, non timebit; *qui enim ambulant in die, non offendit, qui autem in nocte ambulat, offendit*, (*u*) quia lux tua non eſt in eo.

LVI. Tu lux, Domine, tu lux filiorum lucis; tu dies, qui neſcis occaſum, in qua ambulant filij tui, ſine quâ omnes, qui ambulant, in tenebris ſunt, quia te lucem mundi non habent. Ecce quotidie cernimus, quia quò magìs à vero lumine quis elongatur, eò magìs involvitur peccatorum tenebris, eò minùs videt laqueos in via ſua: & ideo minùs cognoſcit, & idcirco ſæpius rapitur, & cadit in eis; &, quod eſt horribilius, *etiam ſe cecidiſſe ignorat*; qui verò ſuum caſum ignorat, eò minùs curat ſurgere, quò magìs ſe exiſtimat adhuc ſtare.

LVII. Tu verò lux mentis meæ, Domine DEUS meus, nunc illumina oculos meos, ut videam, & cognoſcam, ne corruam

am in conſpectu adverſariorum meorum, Etenim in exterminium noſtri laborat inimicus noſter, quem petimus, ut facias liquefieri à facie noſtra, ſicut cera liqueſcit à facie ignis.

LVIII. Contere eum, Fortis noſter, antequam nos agnos tuos devoret: & illumina nos, ut videamus laqueos, quos ipſe paravit, & evadamus ad te, ô lætitia Iſraël. Tu eripe nos, Domine, qui ſalvas ſperantes in te, ut ipſe de nobis doleat, & tu lauderis in nobis, Domine DEUS noſter. *Hæc* S. Auguſtinus *in libro Soliloquiorum capite* 16. *&* 17.

CITATIONES.

(a) Pſalm. 140. 4. (b) Caſſianus *Coll. 2. cap. 11.* (c) Prov. 1. 8. (d) 1. Timoth. 5. 6. (e) Apoc. 3. 1. (f) Luc. 16. 22. (g) Pſalm. 90. 6. (h(Eccli. 43. 26. (i) 1. Cor. 2. 15. (k) Pſalm. 77. 3. & 43. 2. (l) S. Anſelm. *lib. de miſeria hominis. fol. 89.* (m) Pſalm. 87. 4. & 106. 18. (n) Herolt. & Val. Venetus Prati *p. 1. l. 2. exempl.* (o) Pſalm. 18. 13. (p) Actor. 9. 8. (q) Pſalm. 35. 4. (r) Jerem. 5. 26. (s) 1. Eſdr. 9. 6. (t) Pſalm. 123. 6. (u) Joan. 11. 9.

IN.

Digitized by Google

INDEX

MONTIS MYRRHÆ.

OPeris conſecratio, Chriſto JESU Salvatori noſtro; ejúsque Sanctiſſimæ Matri, Virgini MARIÆ, Dominæ, ac Patronæ noſtræ.

Præfatio ad Lectorem, de titulo, argumento, fine, ac methodo libri.

Approbatio R. P. Provincialis.

MONTIS MYRRHÆ

PARS PRIMA.

In qua tractantur ea, quæ ad eſſentiam, integritatem, & alia adjuncta Sacramenti pœnitentiæ ſpectant. 1.

PROOEMIVM

PRIMÆ PARTIS

MONTIS MYRRHÆ.

De arbore myrrhæ, Sacramentalis pænitentiæ Symbolo. 2.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

De præparatione ad Confeſſionem. 5.
§. I. De examinatione conſcientiæ. ibid.
§. II. De contritione, & attritione. 10.
§. III. De propoſito emendationis. 16.

CAPUT SECUNDUM.

De confeſſione, ſeu narratione peccatorum. 22.
§. I. De materia confeſſionis. 22
§. II. De ſpecie, & numero peccatorum. 27.
§. III. De circumſtantijs peccatorum. 31.

CAPUT TERTIUM.

De proprietatibus bonæ confeſſionis. 37.
§. I. De puritate, & veracitate Confeſſionis. ibid.
§. II. De humilitate, & fortitudine pœnitentis. 44.
§. III. De prudentia & diſcretione confitentis. 51.
